25 rs

PELAJUM

SIVE

SCEPTRUM HISPANIENSE
DIVINITUS SERVATUM


CUM

IDEM REGENDUM SUSCIPERET
POTENTISSIMUS REX

CAROLUS IV. BORBONIUS

CANEBAT

ONUPHRIUS PRAT DE SABA SAC. HISP.



MARCOS
y
FRANCISCO VIÑALS
MADRID

FERRARIÆ

EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI POMATELLI MDCCLXXXIX.
SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO

MAurorum in Hiſpaniam irruptio, ex qua toti Auſtrali Europæ tantæ deinde ſtrages conſecutæ ſunt, et ipſa per ſeſe eſt hiſtoricis argumentum ampliſſimum, et tot clariſſimarum rerum bello geſtarum ſemen fuit, ut Hiſpanienſis gloriæ pars maxima per plura ſęcula ab eo, alias funeſtiſſimo, principio repetenda ſit; tantaque eadem appareat, ut difficile mihi videatur, fuiſſe gentem ullam omnibus retroactis ſæculis, quæ bellorum diuturnitate, præliorum multitudine, ac magnitudine, victoriarum celebritate poſſit cum Hiſpanienſi conferri. Quod temere a me, vel audacter dictum is dumtaxat exiſtimabit, qui neſcierit, excipere coactos fuiſſe Hiſpanos, gremio altre, dominos revereri per ſeptem prope ſæcula homines moribus turpiſſimos, ſuperſtitione fædiſſimos, chriſtiano nomini infenſiſſimos, quique in rebus bellicis furorem, crudelitatem, immanitatem inter primas militaris diſciplinæ regulas reponerent: tantaque multitudine cis, tranſque internum mare abundarent, ut nulla hydra feracior viſa ſit. Id certe nulli, quod ſciam, contigit nationi. Huic vero graviſſimo malo cum adſueſcere numquam, vel adquieſcere gens po-

tuerit, natura, indole, quodque caput eſt, Religione Arabibus, ſi quæ uſquam alia, adverſa; inde bella, et pugnæ aſſiduæ utrimque totis viribus ſusceptæ, in quibus militaris Hiſpanienſium virtus mirifice emicuit, et, quod propius ad argumentum noſtrum accedit, in iisdem manifeſte oſtenſum eſt, tot malorum alluvionem ad gentis correptionem, non ad ejusdem exitium fuiſſe a Deo immiſſam.

Neque id dubitare licebit cuiquam perpendenti; quo pacto, tota peninſula Afrorum armis occupata, atque oppreſſa, conſtiterit regium Sceptrum; et parva virorum manus, quibus contigit ſolam vitam tueri ab victricibus hoſtium armis ubique dominantium, horum impetus ſuſtinuerit, fregerit vires, deque ipſis victoribus triumpharit.

Id mecum ſæpe, cum cogitaſſem, exiſtimaſſemque Deo gratum ejus beneficiorum memoriam recordari; gentique meæ glorioſum, majorum noſtrorum conatus, ſuſcepta pro religione prælia, victoriasque celebrare, quo ardentius ad omnem virtutem ſectandam accenderemur, divinumque auxilium difficillimis temporibus nobis firmius polliceremur; tandem ſuperiori æſtate otium ruri nactus, aggreſſus ſum hocce argumentum perſequi carminibus quantum exiguæ, infirmæque vires paterentur.

Cum-

Cumque Dei-Parentis beneficio, eoque manifeſtiſſimo, factum ſit, ut Regnum Hiſpanienſe ab certiſſimo exitio ſalvum in Religioſiſſimo Principe Pelajo conſtiterit, ab eoque noviſſimis hiſce diebus ad Potentiſſimum ejusdem ſanguinis Regem noſtrum CAROLUM QUARTUM pervenerit; agendis beneficentiſſimæ Matri gratiis infirmos conatus noſtros deſtinavimus, Eam votis omnibus obſecrantes, ut Regem ipſum de univerſis Hiſpanienſibus regnis benemerentiſſimum, Reginam Optimam cum Principibus Chariſſimis ad populorum omnium felicitatem abſolutiſſimam præcipuo patrocinio tueatur, atque ita defendat, ut ampliſſimorum regnorum diuturna, et glorioſa adminiſtratio futuri, atque immortalis regni certiſſimum pignus habeatur.

Divino auxilio freti ſperamus haud multo poſt dare Ramirum, ſive *Hiſpaniam ab infami tributo liberatam.*

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/pelajumsivescept00unse

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Ulturus gnatam Iulianus Maurica contra
Excitat Heſperiam crudelis caſtra. Per undas
Dum fertur Claſſis, queſtus ad ſydera tollit
Cum gemitu ſtupefacta Parens Hiſpania: firmat
Ætherea delapſa plaga vox certa, timores,
Et planctus prohibens; addit promiſſa, minantes
Quæ ſtrages longe ſuperant. Inde impia Claſſis
Littus ad Herculeum remis, ventiſque propinquat.

MAurorum ſtratas acies, Sceptrumque ſupremo
Hiſpanum excidio ſalvum ſub Principe, tanti
Gloria quem facti merito immortalis honore
Nobilitat, canere incipiam. Tu, Virgo, Parensque
Viſa mihi in ſomnis inter confinia noctis,
Auroræque, caput bis ſenis cincta refulgens
Syderibus, mediæ pedibus proſternere lunæ
Cornua, ſerpentisque caput furiale venenis
Fæcundum nitido victrix contundere calce,
Virgineo Solem gremio complexa rubentem,

Divinique decus referens in fronte vigoris
Cunctantem roſeo ad carmen ſermone movere,
Exhortansque, darem ventis ut vela ſecundis
Exiguæ cymbæ, ſurgentes æquoris iras,
Nec vaſtos contra fluctus, motusque timerem;
Tu propior jam, Diva, veni: tua munera dicam,
Et quæ impurus amor dudum Tibi, Candida Virgo,
Eripere, æterna et voluit ſub nocte ſepulta,
Regna ſacris aris iterum ſiſtentur, ab hoſte
Auſpiciis, Regina, tuis, nutuque recepta. (a)
  Borboniæ Gentis decus ingens, Carole Quarte,
Im-

(*a*) *Hiſpanienſium erga B. V. Mariam ſtudium ſingulare minime dubitamus profectum ex præcipuis beneficiis, quibus gentem noſtram B. V. proſecuta eſt. Horum extant paſſim in hiſce omnibus regnis, provinciis, urbibus, pagis etiam vetuſtiſſima monumenta, ac frequentiſſima, quæ utrumque atteſtantur, et Dei Parentis erga Hispanienſes præcipuam dilectionem, et horum erga B. V. gratum animum. Omnia complexus eſt dudum* Carolus *Tertius Borbonius Hiſpaniarum Rex, cum regna per quatuor terrarum orbis partes extenſa Magnæ Reginæ dicavit omnia, Eamdemque Pontificio, ac Regio decreto abſolutam Patronam haberi, atque coli imperavit.*

Imperio cujus gentes, et ſceptra reguntur
Quinque plagis ſubjecta, quibus deſcribitur orbis
Integer, et penitus queis ſol non occidit, inter
Tot regni curas, ſi quæ via libera muſis,
Siqua brevis menti dulcis datur hora quietis,
Auribus inſinuent noſtri ſine murmura plectri
Magnanimum Heroum, veterumquoque facta Parentum,
Quæ nec longa dies. nec longa abolere vetuſtas
Ulla queat. Fervet magno, Tibi, corde, vigetque
Sanguis adhuc Gothicus, bis ſeptem ſæcula poſtquam (b)
Cla-

(*b*) *Ita profecto ab omnibus tenendum exiſtimamus; ſive in Ramiro I. a quo deinde ad noſtros Reges propagatus, Pelaji regius ſanguis perſeveraverit; ſive iſte cum Alphonſo, qui* Caſtus *cognominatus eſt, extinctus fuerit. Qui enim hocce ſecundum exiſtimarunt, originem traxiſſe dixerunt Ramirum ab Veremundo fratre Alphonſi* Catholici, *qui nihil ad Pelajum, niſi quod hujus filiam Hermeſendam duxerat, plurimum vero ad regium Gothorum ſanguinem; cum e familia Leovigildi eſſet per Reccaredum Regem. At nobis cum magni nominis recentioribus placet, et Gothorum, et Pelaji etiam ſanguinem per Ramirum in regibus noſtris perſeverare, contra ac alii exteri, et noſtrates etiam cenſuerunt, tracti proculdubio*
ab

Claruit his terris, nulli quæ gloria regno (c)
Contigit Europæ, quam perdere funditus olim,
In quam barbaricæ conjuravere cohortes
Innumeræ, delævit atrox vis omnis, et ira
Immanis Ditis; partus ſed ab hoſte triumphus
Reddidit illuſtrem terris magis omnibus illam.

Hiſ-

ab errore perquam facili in implicatiſſimis genealogiis deducendis, quas eorundem nominum iteratio multo reddit implicatiores. Nobis itaque Ramirus filius fuit Fruelæ fratris Alphonſi Caſti, *quorum Pater eſt Fruela I. rex, Hermeſendæ, et Alphonſi* Catholici *filius.*

(c) *Gothi ab Scandinavia peninſula, Norvegiæ, ac Sueciæ regna continente profecti in Scythiam ad Littora Euxini Ponti conſederunt; unde armati magno numero procedebant pugnaturi pro, vel contra Romanum Imperium prout ſors obtulerat: quousque tandem in Italiam irruperunt. Horum Athaulphus Princeps, cui Galla Placidia Honorii Imperatoris Germana nupſerat, regni Hiſpanienſis fundamenta jecit anno C.* 414. *cum regni Francici exordium ſub Pharamundo ad ann. Imperii Honorii* 26. *referatur, qui an. C. eſt* 420. *Itaque Regnum Gothicum Hiſpanienſe ſexennio ante Francicum eſt conſtitutum.*

Hiſpanos late populos, felicia genti
Arva nimis, terræ venis incluſa metalla
Flumina ſi numquam prodiſſent, unde malorum
In populos exorta ſeges; cum Grajus, et acer
Pænus, et insano regnandi captus amore
Romuleus, fulvi vena pro divite doni,
Conjecit gentes in ferrea vincla ſubactas;
Hos populos triſti victrix ditione premebat
Gens Arabum . Mauros noſtri uno nomine dicunt
Nunc populos, Africæ terras, urbesque colentes
Littore ab occiduo claudentes regna Maroci
Littus ad eoum Barcæ juxta oſtia Nili.
Quanta per Heſperios afris effuſa latebris
Tempeſtas ierit campos; quis caſtra, quis hoſtes
Excierit, patriæ vertens in viſcera peſtem
Infandam, meminiſſe horret, luctuque refugit
Relligio, et Pietas. Rudericus ſceptra tenebat,
Clarus rex armis, dignus diademate viſus,
Iſto dum caruit, Thodofredi filius acris,
(Quem ſceptro dignum propria virtute, paterno
Jure etiam Chindaſvinti, ne regna videret,
Æterna infamis damnarat nocte Vvitiza
Effodiens oculos) conſobrinoque Pelajo
Præpoſitus fuerat, quem par in regna vocabat
Ius patrium, major virtus, et clarior armis

Gloria; duxiſſet cum jam ſub regibus arma
Poſtremis, magna fudiſſet cæde Pelasgos,
Quos nuper rurſus terris immiſit Iberis
Auri vena micans. Eadem ſtirps, ſanguis utrique
Chindaſvinto ab avo, tenuit qui ſceptra Gothorum,
Quæ gens, ſuſceptis fortunatiſſima bellis,
Hic jam tercentos totos regnaverat annos,
Imperii fines interna per oppida centum
Francica protendens, tumidique Athlantidis æquor.
   Rex Rudericus huic, proli geminæque Vvitizæ (d)
Siſſebuto, Ebbæ prælatus, moribus aulæ
Senſim corruptus virtutes exuit omnes
Egregias animi, vitiisque ruebat in ignem
Luxuriæ, pugnæ impatiens, ubi ſæva cupido
Spicula contorquens; infecit corda veneno.
Viderat egregiam Iuvenem, formaque nitentem, (e)
Et crimen vidiſſe fuit. Stirps regia voces
Rejicit et blandas, minitantia verba nec audit:
Stat

(d) *Natus Rudericus ab Theodofredo germano Fratre Favilæ, ſeu Fruelæ, quorum pater Chisdaſvintus* Rex. *Favilam ſuis ipſe manibus crudeliter interfecit Vitiza qui pari crudelitate Theodofredum luminibus privavit.*

(e) *Haud ignoramus placuiſſe quibusdam magni ſane nomi-*

Stat firmum, vitam potius, quam jura pudoris
Inceſto regi concedere. Sævior ignis
Turpi

---

nominis Neotericis, totam hanc Florindæ, Iulianique hiſtoriam fabulis adſcribere, quas Arabes invenere. Silentium ſcilicet authorum illis temporibus viciniorum tanti apud eoſdem eſt ponderis, ut ab eo omnem prorſus eripi fidem exiſtiment tot ſæculorum ſcriptoribus rem illam absque ulla cunctatione narrantibus. Jure ne id, an injuria? aliorum eſto judicium. Interea ſilentium hocce magni etiam nobis eſt ponderis, minime vero tanti, ut ab eo ſolo pertrahamur ad ea neganda, quæ per plura ſæcula invaluiſſe ab vetuſtiſſimis plurimis, acutiſſimisque ſcriptoribus accipimus. Scimus eſſe etiam antiquitatis teſtem Traditionem, cui fidem negare nemo poſſit, quin multis ſeſe difficultatibus implicet non in profanis ſolum, ſed in ſacris etiam hiſtoriis. Cæterum ii ipſi Critici tanti canonem illum non fecerunt, ut quandoque non profiteantur eſſe quædam veriſſima, licet eodem illo ſilentio impetantur, quod infra adnotabimus.

Horum ſententiam, etſi diverſa via, ſecutus eſt Voltairius, qui res hiſtoricas philoſophice, philoſophicas hiſtorice ſcripturare ſolet; narrat ſiquidem res non ut revera evenerint, ſed ut debuerint evenire juxta ejus-
dem

Turpi in corde furit. Violantur jura; Florindæ
Mens immota manet. Nulla reparabile damnum
Arte

---

dem philoſophandi rationem. Huic igitur pudicitia filiæ tanti facienda non videtur, ut eam ulturus in furorem adeo cæcum agi Iulianus debuerit. Argumenta quærit deinde, a quibus et Oppas Antiſtes, et comes Iulianus impelli ad tam execrabile facinus potuere; cum ille, ait, præter puellæ pudicitiam, alia haberet plurima, quæ cordi eſſe debebant; Iulianus autem gener eſſet Vvitizæ, qui a Ruderico (a quo iſtud acceperit neſcio) ſolio dejectus, et interfectus fuerat. Hac vero in re et malum ſe oſtendit philoſophum, et hiſtoricum peſſimum. Quid enim, quæſo, refert ad hiſtoriam, quod factum aliquod pluribus prodire ex cauſis potuerit; cum ea ſola adſignanda hiſtorico ſit, ex qua revera ſit profectum. Et in re noſtra violatio Virgineæ pudicitiæ deſcribitur cauſa: Si tenuis hæc Voltairio philoſopho videtur; ipſe hiſtoricus ſcire debuiſſet qua ex cauſa impulsus eſt Narſes, ut Italiam Barbaris concederet; Bonifacius Africam Vandalis, hosque ad Romæ exitium in Italiam evocaret Eudoxia; Clodovei nepotes ferro, flammisque magnam Hiſpaniæ partem vexarent, et alia his ſimilia non pauca. Equidem injuria hiſce omnibus illata, ea non erat, quæ exci-

Arte quatit vires, animosque inflammat in omnem
Vindictam. Subit in mentem Lucretia, capta (f)
Crimine quæ ſimili, proprio cum ſanguine lavit
Alterius crimen. Romanæ, nobile quamvis,
Non placet exemplum. Pænas det ſanguine qui ſe
Crimine turpavit tanto, regna omnia poſtquam
Illius ob noxam volvi, vertique videbit.
His accenſa odiis regis ſcelus omne retexit,
Et cordis furias genitori. Exarſit in iras
Acer, et infelix Iulianus; ſcilicet una
Hæc patri eſt ſoboles longævo, hæc ſola ſuperſtes,
Quæ

---

excitare hos, atque inflammare vehementius deberet, quam Virginem nobiliſſimam pudicitiæ violenter ereptæ jactura; Patrem majus, quod Virgini filiæ unicæ inferri poteſt probrum. At idem philoſophus parum ſibi, more ſuo, conſtans, facti hujus veritatem certam putat paulo inferius.

(*f*) *Hujus quoque factum tot ſæculorum conſenſione firmatum, vel negat. vel negari tuto poſſe innuit Voltairius. Ejus ratio potiſſima, quia violationes ejuſmodi vulgo tam probantur difficile, quam difficile inferuntur. Cujus autem ponderis hæc ratio ſit, videt quicumque cæcutire non vult.*

Quæ jam caſuras ſervabat filia ſedes.
Dum pacem vultu ſimulat, magnumque dolorem
Corde premit; tanti ſceleris neque conſcius ulli
Creditur; ingentem molitur mente, paratque
Vindictam, crevitque furor dum diſtulit iras.
Vtque latens ignis nimboſi montis in antris
Quem glacies, longæque nives, et marmora circum
Conſtrinxere diu, conceptis viribus, omnem
Effundit ſe ſe in montem, volvitque ruinis
Paſtorumque caſas, ſilvas, turresque, domosque
Funditus evertens, rectasque ad sydera moles.
Haud aliter rabies, ulciſcendique voluptas
Preſſa diu erupit Iuliani in corde. Regebat
Et quia tunc præſes populos, quos alluit undis
Hinc inde oceanus, gentes et littora ſcindens
Africæ ab Europa; perjurus texere fraudes
Non timuit; populos, proprio quos ſanguine debet
Tutari, miſeros immanibus hoſtibus offert.
Evocat illorum turmas, nigrasque phalangas
Invitat: fractas vires, et languida corda
Rege ſub impuro, certi dat pignora facti.
Ne dubitent, faciles aditus, urbesque patebunt,
Se duce, ſuſceptæ maneat quem ſola voluptas
Vindictæ. Gentes victorum præmia ſunto.
Nec mora conſiliis. Auri inſatiabilis ardor

Pingue ſolum, placidi cæli plaga mitior omnes
Diſperſas late gentes, populosque feroces
Excitat, haud dubiæ ſtimulatque cupidine prædæ.
Convenere Arabes, Maſſyli, Barcia pubes,
Algeri, Tripolique, Nigri, Carthaginis altæ
Qui exuvias ſervant, et fundamenta Tuneti,
Mauruſi populi, Nilus quos claudit uterque,
Quotquot et Athlantis deſpectant culmina gentes
Bello armantur equis. Cauſant exorta viciſſim
Iurgia ſeſe inter, duri quoque ſemina belli.
Nec minus interea turpi indulgebat amori,
Corporis et laxas ſolvens Rudericus habenas
Illecebris, longo ſpargebat corda veterno.
Non Africæ motus cunctæ, non fama, nec omnem
Rumor in Heſperiam diffuſus, bella parari
Horrida, quæ terras, urbes, quæ templa, domosque
Cædibus involvant, et fuſo ſanguine inundent.
Quin et cum cælo fulgeret Luna ſereno,
Viſa (nefas) toto comprendere corpore flammas,
Et mox obduci tetro, nigroque colore.
Quæ portenta diu doctus dum quærit aruſpex,
Quidve ferant optat certus cognoſcere, ab Auſtro
Per cæli tractus acies conſurgere cernit,
Armatas acies, hinnitusque audit equorum.
Et *migremus* ait ſacris audiſſe ſepulcris

Migremus, ſuperis ſolvit dum vota Sacerdos.
Quæ ne monſtra virúm veluti figmenta piorum
Reſpueret cæco captus Rudericus amore;
Ipſe ſibi in ſomnis viſus circum undique cingi
Maurorum agminibus, ſtrictisque mucronibus unus
Ipſe peti, et totos laniari corporis artus.
His aliud majus monitum, certique futurum
Auxilii objicitur, ſi mens non cæca fuiſſet,
Ullum ſi inſano ſatis eſſet lumen amori.
Turris in urbe fuit ſumma fortiſſima, ſæclis
Ignotis erecta manu, nec certior auctor
Illius; aſt violare nefas, vox omnibus una:
Seu vectes validos, ſeu ferrea clauſtra movere:
Contemptis populi Rudericus vocibus, intrat
In turrim, ruptis ferratis poſtibus; arcam
Ferratam cernit: veterum recludere regum
Theſauros ſperans, auri, argentique talenta;
Extemplo impavidus vectes, et vincla reſolvit.
Hic vero (horrendum, et dictu mirabile monſtrum!)
Implicita obſervat, depictaque lintea; ſolus
Explicat. Ignotas ignota in veſte figuras
Eſſe videt: fuſci vultus, turgentia labra,
Stat tonſi capitis ſupremo in vertice floccus
Crineus; ex humeris pendet nigrantibus arcus,
Et pharetra, et lævum texit latus æreus enſis,

In Lunæ formam curvus, dextram implicat haſta:
Deſcriptasque notas intentus legit: *Ab iſtis*
Hiſpani populi dira ditione prementur
  At non his ceſſit monſtris inſana libido;
Tetra magis nulla eſt peſtis, nullumque venenum
Promptius humanos ſenſus vertitque, trahitque.
Hos monitus ægræ credit deliria mentis
Cæcus amans, fingique putat, quæ invertere poſſint
Turpia, queis dudum jactatur, gaudia ſenſus.
Nec procerum voces audit, qui caſtra ſuadent,
Arma paranda, duces, armato milite ſervent
Qui littus, late fines et ab hoſte tueri
Qui poſſint; validis opponere viribus arma.
Non magis hoc juſto procerum ſermone movetur,
Quam ſi dura ſilex, aut ſtet marpeſia cautes.
Eſſe, inquit regnis ad propugnacula marmor
Heſperium littus findens ſub pondere aquarum
Littore ab auſtrali: Gaditana oſtia forti
Et commiſſa duci. Sic mens improvida lumen
Rejicit, et paſci gaudet, ducique tenebris,
Quæ placeant: duro nec ſcribi in marmore caelo
Virgineum noſcit maculantia probra pudorem:
Vel patrem latuiſſe putat, creditve ſepultos
Irarum magnos, quos nondum ſentiat. æſtus.
  At Nomadi interea, fuſci quoque caſtra Maroci,

Et Barci fortes in proxima littora turmas
Urgebant, notas et ad Herculis usque columnas.
Excuſſos populos omnes, totamque carinis
Impoſitam longis Libiam dare carbaſa ventis
Credideris; tantæ complebant littora gentes,
Sic amplum innumeris ratibus confunditur æquor.
Armati pedites bis centum millia fulgent
In clypeis, enſes, et lento ſpicula cornu
Evibranda, manus implent vel tela, vel haſtæ.
Omnibus it tortus circum cava tempora turbo
Lineus, implexus ſpiris, latera ardua cingit
Faſcia verſicolor. Signorum in vertice longe
Omnibus effulgent argentea cornua Lunæ
Quatriduæ. Triplicis proſtant inſignia caudæ
Quo turmæ volvant oculos, et juſſa capeſſant.
Scilicet hos ritus, armorum hæc dogmata nuper
Illius induerat gentis pars maxima; poſtquam
Rupit honeſtatis leges, et avita piorum
Cum monumenta patrum tenebris obduxerat atris:
Et ſacros ritus vitiis infecit, et almam
Doctrinam extinxit turpis Mahumedicus error.
  Ductores primos populorum cogit in unum
Concilium Princeps, rerum cui ſumma poteſtas,
Muza ferox, bello clarus, ſpes unica magni
Miramolini, nam turbam affarier omnem

Nec numerus, nec lingua ſinit, tum rite coactos
Adloquitur verbis, urgetque in prælia vires,
Accendens iras, avidis et pectora mulcens.
  Hic locus eſt, inquit, ſunt hæc ea littora, turmas
Genſericus ubi diviſit, triſtia quando (g)
In nos arma tulit, noſtriſque penatibus ultro
Attulit immenſas ſtrages, ſtravitque vigentes
Tunc populos de ſe meritos numquam male: noſtro
Sanguine, quam ſolis potius fervore rubeſcit
Littus adhuc; tanti reſtant monumenta furoris.
Octoginta ſuper pugnantum millia regnis
Immiſit noſtris, quorum veſtigia morum
Turpia longa tribus ſæclis abolere vetuſtas
Non valuit. Patrum cineres ulciſcimur; et nos
Magna manent juſtæ vindictæ præmia. Quantum ab
Fini-

(g) *Hujus ab Hiſpania in Africam trajectio hortatu Com. Bonifacii, celebris eſt in annalibus ſacris, profanisque; cum ex ea Romanæ urbis direptio, ac depopulatio conſecuta ſit; reſtrictisque Imperii Romani finibus, novum in Africa regnum ſurrexerit, in quo mirifice auctus eſt martyrum numerus ſævientibus Arianis illis Principibus in populos Catholicæ fidei addictos, maxime vero in Epiſcopos, et ſecundi ordinis miniſtros.*

Finibus Europæ nimboſos usque Pirennes
Subjacet imperio, domino et famulatur Ibero,
Oceanus quantum ſupra, quantum alluit infra
Hoc medias findens terras mare, jungere ſceptris
Uliti eſt animus, ſpoliis diteſcere opimis.
Spes neque tot terris, Socii, mihi credite, noſtras
Claudimus: Herculei jungemus ſceptra Tarenti,
Joniique maris, ſi quid mens augurat æqui, (h)
Omnis et Europæ, fuſcum quæ reſpicit auſtrum,
Pars potior noſtris ſubdetur legibus olim.
Nec tantæ facinus molis, nec præmia tanta
Noſtrorum multo conſtabunt ſanguine. Tutum
Pandit iter procerum, et Regis diſcordia præſens.
Pro ſiccis Libiæ campis, Nomadumque relictis
Littoribus, Barcæ pro tot ſitientibus arvis
Arva patent vitreis ſemper vernantia rivis.
Nec gemmas memoro, nec quæ pretioſa metalla
Fundit Iber, divesque Tagus. Montana dehiſcent
Antra

(*h*) *Equidem Creta quoque inſula potitos Arabes Hiſpanienſes memoriæ proditum eſt ſub an.* 818. *et quinquennio poſt patefactam Afris Saracenis Siciliam proditione Euphemii cujusdam. Exinde Arabibus utrisque Neapolitani regni, atque Italiæ plura oppida patuerunt.*

Antra meæ genti; veteres tellure repoſtos
Theſauros prodent, nec ſpes patientur inanes.
Ite, ait, atque animos veſtris adjungite turmis,
Arma parent pugnis, et læti juſſa capeſſant.
Tuque, Tariſe, tuas acies ad prima paratas
Signa jube, tecumque ſuos Alcama feroces
Conjunget populos. Bis ſeptem millibus iſtis
Faucibus Herculeis Hiſpani ad littoris oras
Ante diem, ſi fata ſinent, tranſmittere ſuadet
Mens mihi. Ductores ſpectet dein cætera pubes,
Iuſſa modo tuta nobis ſtatione teneri,
Dum tempus, dum prima ſinunt tentamina belli.
Nec mora præceptis Muzæ. Sua caſtra Tariſus
Excitat, oſtendens prædura in fronte tumorem,
Ore ferox turpi, tum lumine captus et uno:
At bello impavidus, magnis majorque periclis.
Dux Alcama ſuos vicina in littora cogit
Adciſcens ſocium rebus, comitemque Maquedum,
Eſt cui corde furor, ſunt artes mille nocendi,
Mille dolos tum mente fovet; nam perfidus alma
Dogmata Chriſtiadum ſcelerato crimine nuper
Prodiderat, fædi Mahumedis transfuga legem
Profeſſus, gentem cupiens ſi perdere poſſet
Deſertam; fractæ fidei ſic tergere labem
Poſſe putans, ſi nullus erit, qui crimina damnet.

Ergo alacres portum, vicinaque littora portus
Complevere acies. Fulget mucrone coruſco
Ærea telorum meſſis; clypeique cadente
Sole repercuſſi flammarum in fluctibus altis
Oſtendunt globulos, totum quibus ignibus æquor
Miſceri viſum. Magnæ ſpes proxima laudis
Acrius accendit vires: furor ingruit ardens,
Præcipitatque animos tantæ præſentia prædæ.
Non belli eventus varii, martisve cruenti
Pugnantes terret gentes mutabile pectus.
Orant tranſmitti, ponti, ventique, ratisque
Incuſant, damnantque moras; nec ſegnius omnes
Ire volunt, quam ſi ad prædam exuviaſque vocaret
Martia, vel partis caneret jam buccina lauros.
Corripuere locum properi, ſignoque repente
Ære dato, naves conſcendunt. Regia puppis
Jam tremulum malo ſignum ſuſpendit ab alto,
Quo extemplo nautæ funes ab littore ſolvunt.
Conſidunt tranſtris; remis, veliſque feruntur
Littus in adverſum; tuto volat æquore claſſis.
Jamque adeo medium certus findebat in undis
Maurus iter; medium curſu ſuperabat et axem
Alba per æthereos fulgens Latonia tractus;
Cum montes inter viſa eſt Hiſpania ſeſe
Erigere; attonitumque caput ſuper ardua tollens

Cæſariem laceram, vultu mæſtiſſima frontem
Oſtendit, triſtes oculos, atque ora, nitentes
Et lacrymis perfuſa genas; tum tendere utramque
Ad cælum cum voce manum, lacrymansque, dolensque
Cum gemitu tales effundere pectore queſtus.
O qui res hominum, magnorum et pectora regum
Æternis regis imperiis, et numine terres:
Cui parent gentes; nutus et juſſa capeſſunt
Alituum, pecudumque genus, ventique, procellæ;
Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus,
Quo ceſſit tua cura mei, Pater optime? Numquam
Muneribus, quæ in me vertiſti magna, licebit
Per tot bella frui? Rurſus mea viſcera contra
Gemmarum, et rubri pugnabit vena metalli?
Non queror accitos longis regionibus olim
Geryones, horum victoris et Herculis arma.
Nec mihi qui nomen primum dedit Heſperus, Athlas,
Nec Siculus, nec quos miſit nemoroſa Zaſinthos,
Gorgoris, aut Abides, Celtæ, Rhodii, Tyriique
Vel Græci memorandi, et qui Carthaginis altæ
Fundamenta prius poſuere, urbiſve Quirini;
Quos omnes noſtrarum hoſtes opulentia rerum
In nos excivit. Lacrymis ea digna fuere
Viſa mihi donec donum memorabile cælo
Relligio, et Pietas noſtris non fulserat oris.

Te donante, meis floreſceret utraque regnis
Cum dudum; vidi gelidis conſurgere ab oris
In mea regna novas gentes, aciesque Gothorum,
Quos procul excierat, validisque inſtruxerat armis
Auri ſacra fames, cujus jactura fuiſſet
Parva mihi, ſi ſancta Fides, ſi dogmata poſſent (i)
Nil ab rege mali, duris populisve timere,
Quos Arianæus jam tunc infecerat error.
Inde mihi cauſæ lacrymis. Quot funera, quantas
Suſtinui ſtrages? quantus dolor oſſibus hæſit,
Cum mea principibus ceſſiſſent ſceptra Riannis,
Expulſos patria, profligatosque viderem
Cæleſtis fidei flagrans quos ardor agebat.
His erepta malis refici, attollique videbar (k)
In

(i) *Quantum Hiſpanienſis Religionis facies immutata ſit ſub Arianis Principibus occurrit paſſim in eorum temporum annalibus. Quin propterea defuerint illis etiam temporibus viri omni litterarum genere excultiſſimi, ſanctitate autem multo illuſtriores, inter qnos Leander, Fulgentius, Iſidorus, Martinus, Braulius cet, cet.*

(k) *Sub Reccaredo ſcilicet, cum Arii error in frequentiſſimo, ac celebratiſſimo Toletano Concilio tertio damnatus eſt.*

In non ſperatæ felicia tempora pacis,
Cujus dum ſummis fructus præſentio labris,
Armari rurſus divini Nominis hoſtes,
In mea Maurorum converti viſcera vires
Intueor, mea regna peti. Si vena metalli
Divitis in ſanctæ Fidei eſt vertenda ruinam,
Diſpereat noſtris regnis. Si Hiſpania parens
Imperiis ſacris non ſit, conſtansque futura,
Maurorum ſi fracta minis, ſi territa diris
Suppliciis mores ſacros, ritusque beatos
Exutura ſuat; tellus ante ima dehiſcat
Tota mihi; mergar, pontique Athlantidis æquor
Amplificem, quam ſacra, Pater, tua jura reſolvam.
Ah! non iſta mihi dederat promiſſa Iacobus,
Felicis quondam noſtris qui nuntius ævi
Appulerat terris; non ſunt hæc facta Iacobo
De me verba Tuo; cum juxta flumen Iberum
Virgo Parens mortalis adhuc, innixa columna (l)
Marmorea, liquidum veniens ſuper aera; dixit,
Hos

(*l*) *Celeberrima, atque firmiſſima inter Traditiones hæc B. Mariæ Virginis viventis adhuc apparitio Iacobo Apoſtolo, neque verti in dubium niſi ab intemperanti critice poterit.*

Hos populos, iſtas gentes, totamque ſub umbra
Heſperiam ſumpſiſſe ſua; his gentibus olim
Egregios virtute viros, ſacraque vigentes
Relligione patrum venturos, robore firmo
Qui populos omnes, crebris freta conſita terris;
Regna ſub arctois, et quas antarticus axis
Obducit gentes, divinæ lumine legis
Luſtrarent, Nomenque tuum, ſortemque beatam
Humani generis firmarent ſanguine fuſo.
In me Sancta Fides, Pietas manſura per ævum
Dicta eſt æternum. Quo nunc fiducia ceſſit?
Tot me muneribus cumulatam Maurus habebit?
Barbarus hæc armis tandem dona irrita reddet!
Dicar et ipſa tuis contraria legibus? hoſtis
Nominis et Jesu credentur iberica Regna?
Hæc dicens gremium lacrymis implebat obortis,
Occluſitque viam verbis dolor omnibus ingens,
Singultus pro voce ſonant, ceditque dolori.
At Pater Omnipotens ter cælo clarus ab alto
Intonuit dexter, turbataque corda refecit
Clara per illuſtres vox tandem reddita ventos.
Parce metu, lacrymisque tuis, Hiſpania, ſortes,
Atque immota manent jam dudum grandia fata
Dicta tuæ genti. Luſtris labentibus ætas
Adveniet non una tibi, cum læta videbis

Ex gremio prodire tuo natosque, ducesque (m)
Qui legem, nomenque meum, qui dogmata corde
Impavido medios hoſtes, mediosque per ignes
Ore tuebuntur, profuſo et ſanguine multo.
Hos ego delegi cunctis ex gentibus, hiſce
Sub ducibus vires, et robora firma tenebit
Relligio, et contra ſurgentes proteret hoſtes.
Si ſobolem forſan ſceleratám Francica tellus
Protulerit, natosque feret ſacra jura moventes:

Si

(m) *Inſignes Mauricæ hujus alluvionis occaſione prodiere militares Ordines Alcantaræ, S. Iacobi, Calatravæ, Monteſæ S. Georgii. Inſigniores etiam deinde hiſpanienſes viri, qui Religioſos novos Ordines inſtituerunt, vel inſtitutos reſtaurarunt. Nempe contra Albigenſes Dominicus Guzmanius Prædicatorum Ordinem; Petrus Nolaſcus, et Iacobus Aragonius Redemptionis Captivorum Ordinem; Ignatius Loyolæus adverſus ſui temporis hæreſes Societatem Iesu; Ioannes de Deo Ordinem Miniſtrantium infirmis; Scholarum Piarum familiam Clericorum Regularium Ioſeph Calaſanzius. Ioannes à Cruce reſtauravit cum Thereſia Carmelitanos. Franciſcanos Petrus de Alcantara, ut conditores alios, Reformatoresque non ita magni nominis omittamus.*

Si omnia ſacra ſuis verti Germania regnis
Unius ob noxam, turpiſque cupidinis æſtu
Senſerit; Ipſe tuos inter jam ſeligo natos
Egregios virtute viros; primique refulget
Fronte novum ſydus placida, dux dexter ab albo
Ore ferente facem ſignabitur ipſe catello:
Alterius ſignis fulgebit Nomen Iesu.
Pro quantas acies, quam firmo pectore turmas
Amborum ex caſtris orbis prodire videbit?
Et quoties partis amborum ſanguine palmis
Roma triumphales ornabit maxima currus?
His ego nec metas rerum, nec tempora pono;
Imo horum ingentes animos, invictaque cernens
Pectora, jam notis terris majoraque corda;
Regna paro, nova regna, maris quæ gurgite vaſto
Diſſita nunc, veſtris reſident incognita terris.
Hæc tu regna tuis adjunges grandia ſceptris
Relligione prius, quam bello, armiſque ſubacta. (n)
Nec modo Maurorum turmas horreſce minaces.
Advenient hoſtes, et terras undique circum
Fundentur; non iſta meo ſine numine fiunt,
Nec ſine ſorte tua felici. Vivida virtus

Vivi-

(n) *Hiſpanienſe Imperium in Aſia, et utraque America latius*

Vividior pugnis evadit. Sumit ab igne
Interius torquente magis lumenque, decusque
Aurum. Nonne vides ſurgat quam florida meſſis
Cum deſævit hyems aquilonibus aſpera, cumque
Gleba gelu, longis nivibus concreta quieſcens
Diriguit? Quam læta vigent et lilia vepres
Horrentes inter? Florum quis ſceptra dediſſet
Pulcra roſæ, ſpinis ſi numquam hæc cincta fuiſſet?
Ut Mauri longe terris dominentur opimis
Annuo; diteſcant auri modo divite vena,
Et patiar populos teneant ditione. Cavento
Ritibus aſt legem, ſacra vel miſcere profanis,
Vel gentes prohibere fidem ſervare volentes.
Ni faciant, propriis exſcindi viribus omnes,
Et ruere in ſtrages propria virtute jubebo.

Nec

---

latius fuiſſe, firmiusque propagatum Evangelica prædicatione, quam armis, nemo mediocriter eruditus negaverit. Nec ſane fieri aliter potuit, cum Hiſpanienſes Reges pro Religione ſua id ſibi præcipuum propoſuerint (quidquid nonnullorum exterorum cæca invidia cavilletur) gentes illas fidei ſacræ luminibus erudire, et in Catholicæ Romanæ Eccleſiæ gremio exceptas ſuis deinde ſceptris adjungere. Quam in rem et leges latæ prudentiſſimæ,

Nec tamen interea ſtabit victoria parvi
Hoſtibus. Optatis gemmis, auroque fruentur,
Haud impune quidem. Cernis quanto ore Pelajus (o)
Regius egregia juvenis de ſtirpe Gothorum
Oſtentet ſeſe? firmo quam pectore? quantas
Meſſuerit palmas primævo ab flore juventæ?
Hic res Hiſpanas Maurorum ſanguine multo
Firmabit, gelidis veniens ab montibus altæ
Cantabriæ: imperium collectis undique turmis
Aſturios inter ſtatuet; torrentis et inde
Inſtar aquæ, rivus paſſim quem plurimus auxit
Obvius, in latos rapidus diffunditur agros;
Haud aliter rebus miſeris, et paupere terra
In magnum imperium conſurget magna Pelaji
Vir-

---

tiſſimæ; et ex gaza regia ſubminiſtrati ſingulis ſub Regibus ſumptus uberrimi.

(o) *Princeps hic immortali ſane laude dignus, ſive incorruptam ejus probitatem, morumque honeſtatem, ſive res ejus bello præclarè geſtas intueamur. Neque talis viſus eſt ſolum noſtratibus, ab externis etiam plurimum commendatur. Horum Orleans in hunc ferme modum pulcherrimam ejus imaginem exhibet. Utcumque eſſet illuſtris eius regia nobilitas, dici nihilominus poteſt, majorum*

Virtus. Virgineo vis nunc illata pudori
Res ſternit veſtras: vi ſubvertetur eadem
Maurorum robur. Gaudet gens impia; poſthac
Sed non et veniſſe volet, cum ſigna Ramiri
Aſpiciet Primi. Victoris magna ſequentur
Facta Duces magni venturi in luminis auras
Ordonii, Alphonſique graves, Sancique, Ramiri,
Et qui Maurorum purgabunt crimine regna
Qua-

---

jorum gloriam fuiſſe in eo quod minus emicabat; adeo ipſe cæteris propriis dotibus eminebat. Animi robur invictum; corpus robuſtum; inceſſus militaris; comitas ſupramodum affabilis; ſumma religio; mores honeſtiſſimi; mens atque ingenium acre, ſtudioque cùm pulcherrimarum artium ac diſciplinarum; tum ſacrorum librorum uſu, atque exercitatione excultum, et perpolitum: dicendi copia, et venuſtas, hæ dotes illæ erant, quas in Pelajo intuebantur ad unum omnes. Nec ſane poterat eſſe non maxima virtus illa, quæ in aula vitiis turpiſſmis tamdiu inquinata, conſtans, et incorrupta permanſerat; Parcus in omnibus, ſobrius medio in luxu aulicornm, et Principum, ejus modeſtia venerabilis erat iis etiam, quorum mores ab ejus vivendi, agendiquc ratione maxime abhorrebant.

Quatuor a fluvio ducunt quæ nomen Arago,(p)
Petrus, Fernandus, clades extrema Jacobus.
Sic placitum. Nutu totum tremefecit olimpum.
Audiit imperium perruptis Cantaber oris,
Celtiber, et Luſus, Balearica et Inſula, longe
Audiit oceani patiens qui littoris oras
Gallicius findit: tum quæ tot regna coronant
Culmina cum plauſu reſponſa dedere Pirennis.
Interea ventis in proxima littora claſſis
Tuta ferebatur, cum juſſus navita proram
Elati ad montis radices vertere Calpis,
Urbis Heraclęæ portusque intrare propinquos,
Herculeæ noſtris atavis de nomine dictæ
Herculis, has tandem victor qui ductus ad oras
Naturæ extremos fines tetigiſſe putavit;
Et geminas vivo ſuperas de marmore ad auras
Attollens (veterum ſi vera eſt fama) columnas
Eximium ſcripto ſignavit carmine factum:
Terrarum *Non Plus Ultra* confinia quæras.
Ipſa modo celso Calpis de monte, Tarifi et

No-

(p) *Scimus ab aliquibus Aragoniæ nomen ab Tarracone urbe celeberrima deduci; nec opinionem hanc proinde rejicimus.*

Nomine noſtris eſt Urbs Gibraltaria dicta.
  Portus ab eoo fluctu curvatur in arcus
Leniter extenſi formam, vaſtiſſimus ipſe,
Claſſibus adverſus ſtatio et fidiſſima ventos.
At procul e fluctu, portumque intrantibus offert
Se contra medius ſublatus ad æthera ſaxo
Mons vivo, cingit placidis hunc undique pontus
Fluctibus, excepto boreæ de partibus iſthmo,
Qua patet hiſpanis via non latiſſima terris.
Hac ſed inacceſſus perruptus tollitur, inſtar
Arte laboratæ turris: qua reſpicit Auſtrum,
Occiduumque ſalum, leni deſcendit in undas,
Et dulci gremio, ſuper hoc fundata ſuperba
Urbs ſurgit, validis deſpernens mœnibus hoſtes.
Inde ſinu duplici gaudet; qui proximus urbi
Occiduus *Veteris portus* cognomine gaudet;
Ille *novus* contra ſurgentes deſpicit auſtros.
  Vela legunt nautæ, remis datus impetus ipſe
Urget in optatam naves, et pellit arenam.
Obvertunt pelago proras; et ferrea poſtquam
Anchora fundabat naves; in littore pontes
Expediunt alacres. Rebus ſic rite paratis
Intenti expectant, reddet quod buccina, ſignum.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECUNDUS

ARGUMENTUM.

Herculea capta urbe , acies utrasque Tarifus
Iungit , et Heſperiæ primas ſua ſub juga terras
Mittit ovans . Trepidant urbes ; tandemque Toleti
Excutitur ſomno Rudericus . Mittitur hoſtes
Sancius adverſus , Bætisque ad fluminis undas
Confligunt acies paribus non viribus , armis
Imparibus ; cæſo donec Duƈtore , per agros
Funditur aufugiens exercitus omnis Iberus .

INterea primo ſpargebat lumine terras
Orta dies, afris cum ſignum regia puppis
Extulit, et ſonitu monuerunt cornua rauco
Littus in Heſperium totis deſcendere caſtris.
Corpora curarunt læti; fremit arma juventus
Horrida , loricam tergo, laterique mucronem,
Et capiti galeam tremulis aptaverat alis
Longe fulgentem; clypeique ex ære ſiniſtras
Armabant, lato dextras haſtilia ferro.
Emicat in littus primus, ripasque Tarifus

Occupat; inde ſuas acies Alcama, Maquedus
Expediunt celeres; complerant littora denſis
Ordinibus, fraudis prætor cum conſcius urbis
Obvius armatis multis comitantibus ibat,
Mænia Ductori pandens, populumque volentem
Ultro ſubjiciens. Ea res oblata timorem
Diſpulit, ancipites animos firmavit; atrocis
Creditus eſt tandem Julianus criminis auctor, (a)
Quem nec relligio, ſacri nec jura pudoris,
Nec patrium ſtudium, aut famæ jactura teneret.
Urbem ſed ductor placida ditione receptam
Ipſi prætori committit. Caſtra deinde
Iuſſit in extenſos paulum procedere campos.
Scilicet optatus vicinis miſſus ab oris

Nun-

(*a*) *Ægre perſuadere ſibi Mauri poterant Julianum Regibus Hiſpanienſibus conſanguinitate propinquum, locupletiſſimum deinde, ac potentiſſimum, quodque caput erat, religione Chriſtianum, eò pertrahi poſſe furoris, et odii, ut conſtanter vellet patriam hoſtibus tradere, religione adeo diverſis, et infenſis. Hac ſuſpicione inductus Muza rem totam tentari voluit non ita magno exercitu; miſſurus longe majorem ubi nullus reliquus eſſet ſuſpicioni huic locus, quod ſane præſtitit.*

Nuntius attulerat, Juliani caſtra per amplam
Adventare viam, properantis jungere turmis
Maurorum turmas, nuper quas duxerat altis
Ab *Calderinis* facti de nomine dictis (b)
Montibus: hoſtiles huc conjuraſſe catervæ
Dicuntur, quas aut odium crudele tyranni,
Aut metus urgebat, pulſi vel fama Vvitizæ
Excierat; ſobolem cujus Rudericus avitis
Exuerat regnis curiſque agitabat iniquis.
Vix adeo exiguis ſuperatis ſaltibus, omnis
Nigra acies campis turmas inſtruxit apertis;
Cum procul ingentem volvi caligine denſa
Conſpexere globum; nubem mox pulveris alte
Attolli, ſtrepitumque pedum, ſonitumque tubarum
Auribus excipiunt. Iuſſi conſiſtere Mauri
Laxis ordinibus, venientum et diſcere vires.
Omnibus ex regnis collecti ſigna ſequuntur
Bis ſex mille viri pedites, tria millia pulcris
Lecta feruntur equis pręſtanti corpore, quales
Bætis magnanimum ſemper generator equorum
Mittere in arma ſolet, poſtquam in præcordia flammas
Intu-

(*b*) *Calderinis. quod ſcilicet nomen Arabibus, conventus proditionis, ſeu conjurationis ſonet.*

Intulit ætherei ſpirandas naribus ignis.
Armati clypeis, atque ærea ſplendida longe
Tegmina habent capitum; tereti mucrone dolones
Pars gerit; infixo pars lato haſtilia ferro
Oſtentat; gladius fulgens, cælata bipennis,
Squammeus et thorax, decus et tutamen in armis
Omnibus eſt idem, furor inſuper omnibus idem
Cæcus, et inſanus, patriæ quo in viſcera ferrum
Convertunt miſeri. Cernunt nec quale venenum
Imo corde bibant, quo ardebunt igne medullæ.
Progreditur patriæ Julianus triſtis Erynnis
Ore ferox, oculisque minax, tum fronte cruentam
Perfidiam referens, vultusque in imagine tetram
Vindictam ſpirat: vultus fidiſſima imago
Eſt ſcelerum cordis. Trepidant in vertice criſtæ
Sanguineæ; gladius lato mucrone coruſcans
Dextram armat, læva faciles moderatur habenas
Vectus equo lecto multis e millibus, alba
Stella cui exornat media inter tempora frontem,
Et qui doctus erat fluvios tranſnare profundos,
Ac rapido curſu deſcendere montibus altis.
Convenere duces ambo. Tum ſiſtere juſſis
Agminibus, primus Maurum Julianus amicis
Aggreditur dictis, ſtrictoque mucrone catervas
Signans, en promiſſa tibi fidiſſima, dixit,

Agmina, venturo nec ſpes eſt unica bello.
Æquales virtute viros, armisque paratos
Regna dabunt, quotquot Martis vis nulla vorabit;
Armatos pedites, promptas equitumque phalangas
Ad nutum tellus fundet. Quò longius arma
Duxeris, augeri turmas, aciesque videbis
Ipſe magis. Signis collatis, regna petamus
Quæ ſcelus, iratum Numen, turpisque voluptas
Regnantis noſtris animis, armisque dedere.
Accepit placido vultu, monſtratque Tariſus
Millia quot peditum vicino in littore prompta
Conſiſtant juſſu Muzæ; quot ab urbe Damaſci
Iam paret Ulitus terris immittere Iberis
Inſtructas acies, martis ſi inſania ſævi,
Si furor ingruerit morborum. Caſtra movere
Tempus, ait, ſuadet: fortes in bella ruamus
Dum mentes ſpes certa fovet, dum vivida virtus
Noſtris corde viget. Pavidis nil hoſtibus umquam
Exitiale magis ſubito terrore. Coactis
Agminibus ſtatim dextra, lævaque jacentes
In populos rapidi vires, atque arma feremus.
Hæc ait, et ſtricto poſtquam mucrone liquentes
Auras diſtrinxit; ſtrepuerunt cornua rauco,
Lethiferoque ſono, quo circum littora, montes,
Concuſſæ et valles, gelidusque per oſſa cucurrit,

Vicinis populis terror. Sed fuſca juventus
Sævior in pugnas exarſit. Funditur inde
In campos, atri nimbi, ſeu turbinis inſtar.
Ut pateat turmis afris venientibus oris
Latior hic aditus: primum ſubit urbe potiri
Cartheja, celso fauces quæ ab monte tuetur, (c)
Et ſcopulos, bimaris tundit quos undique fluctus.
Nec prædæ ſpes longa foret, non ariete muri
Tentandi crebro, ſi non urbs illa fuiſſet
Alphonſi fidei, firmo quoque credita cordi.
Scilicet objecit venientibus hoſtibus omnes
Oppoſitus; portas æratis vectibus, altis
Aggeribus duro erexit de robore turres,
Armavitque ſuos ferro, ferroque potenti
Laudis amore magis, libertatisque beatæ.
Fortior aſt urbi, maurisque potentior ipſis
Arx eſt viſa Ducis naturæ viribus ullis
Non conceſſurum pectus. Nam e mænibus hoſtem
Dum vigil obſervat, plauſus et barbara ſiſtra
Clamoresque hilares totis diffundier agris

Au-

(c) *Alphonſi Guzmanii egregium, ac memorabile factum ſcimus multo ſerius accidiſſe, huc vero tranſcribimus deſumptum ex Prolus. Famiani Stradæ.*

Audit, et attonitus cauſas dum quærit, ad urbis
Mænia Maurorum turbas accurrere cernit,
Captum oſtentari puerum videt. Ilicet arſit
Ut natum pater agnovit: ſat nota micantis
Cæſaries capitis; neque fallunt viſcera Patrem.
Illum inter comites (et erat hæc una ſuperſtes
Alphonſo proles) agris dum ſorte pererrat,
Abſtulerant hoſtes; nunc circum mænia ductum
Objiciunt patris ante oculos, gladioque minantur,
Ni dedat, quam non longum tutabitur, urbem,
Acturos ſeſe nati intra viſcera ferrum,
Et patrium charo ſparſuros ſanguine vultum.
Expavere alii, atque animum ſubiere Parentis,
Exuit ipſe Parens; torvo quin lumine Mauros
Deſpectans: Me ne, inquit, deterrere putaſtis,
Venales animæ, et dominos mutare paratæ?
Si me feciſſet proles centena parentem,
Staret et hoſtili natorum turba ſub ictu,
Nil me propterea recti de tramite flectant,
Exarmentve ducem lacrymæ, morteſque meorum;
Mænia ſunt ferro, non Patris viſcera nato
Aggredienda; meam per me, concidite prolem,
Dilaniate artus, æquate et vulnera membris,
Et ſemel Alphonſum majorem diſcite Patre.
Hæc dicens ſubito vagina liberat enſem,

Elatoque minax; rabies ſi tanta furoris,
Cædisque innocuæ ſtimulat præcordia, ferrum
Hoc, ait, accipite, et ferrum de mænibus altis
Projecit Pater: inde ſuos, et tecta reviſit
Securus, potuitque paratæ accumbere menſæ.
Obſtupuere acies; tonitruque ſimillima rauco
Alphonſi vox illa fuit; ferrumque cadentis
Fulminis in morem, ſpectantem terruit hoſtem.
Mox animi rediere truces; ſubiitque pavoris
Ira locum; certum eſt ulciſci in prole Parentem.
Tunc ferrum in venas pueri nil tale merentis,
Et fruſtra palmas ad mænia nota levantis
Immergunt, donumque Patris in viſcera condunt.
It ſubito ad cælum clamor. Quantusque nivali
Fit ſonus, incubuit boreas cum ſtridulus Oſſæ,
Tantus ad adſpectum cædis dolor urbe reſultat.
Evocat Alphonſum fragor, atque in mænia currit,
Et nati aſpiciens letho languentia membra,
Quamquam animo redit usque Pater, tamen exuit illum
Dux melior, civesque objurgans; hoc erat, inquit.
Quod veluti capta comploraviſtis in urbe?
Vos ne, puerque meus caſu pendetis ab uno?
Illum ego nutrieram patriæ, jam reddidi et urbi;
Hæc reor infenſum placabit victima Numen.
Dixit, et extemplo ad convivia cæpta revertit

Ac nil invitis fas quemquam fidere divis:
Unius ob noxam periiſſe ingentia regna
Vidimus haud raro; duro ſed ab hoſte tueri
Unius virtute ducis vix ulla, tegique,
Urbs longum valuit. Cecidit Cartheja, cadensque
Amiſit nomen. Surgentem denuo victor
Eſſe jubet noſtris, appellarique Tariſam.

Caſus tantæ urbis (non expugnabilis armis
Credita, magnanimoque Duci commiſſa) paventis
Poſteaquam populi tandem pervenit ad aures;
Implevit terrore novo, trepidoque tumultu
Heſperiam, quantam Bætis, Salsusque profundus,
Singulis, auratisque Tagus fæcundat arenis.
Hoc concuſſa metu ceciderunt oppida centum,
Ullia, Burſavolumque, Vcubis, Soricaria, Ategua,
Urſo, Aſta inſignis Ventiſpons, Munda, Caruca,
(Hæc tunc nomina erant, nunc ſunt ſine nomine terræ)
Et tractus, Bætis rapidis quem claudit et Anas
Fluctibus, ab proavis dictus Bæturia noſtris.
Namque ferunt, nec vana fides, ferro, ignibus omnes
Funditus evertiſſe Arabes, quas non ſine multo
Præſidio, multis ſervaſſent ſumptibus, urbes.

Talia per Bætim, vicinaque littora Bæti
Ediderant Mauri; vaſtæque incendia cladis
Interius magnos volvebant ignibus æſtus.

Cum ſomno tandem excuſsus Rudericus inerti
Fæmineus, turmas hoſtiles, agmina regnis
Deſævire ſuis, populos, urbesque ruentes
Credidit, obſtupuitque furens, reſidique virilis,
Quæ quondam fuerat, redit in præcordia virtus.
Excutitur ſomno, virtus et priſtina corde
Excutitur; ſed regna videt defluxa vetuſtis
Deliciis, animos veneris dulcedine captos,
In luxum promptos, armorum horreſcere nomen.
His ſuper accedit, turmas, peditumque catervas,
Regna quibus poſſent tanto defendier hoſte
Eſſe procul. Dudum patriæ nam perfidus ille
Proditor, infandum facinus quo certius eſſet,
Mille dolos animo verſans: en Gallia, dixit,
Arma parat dudum noſtra in confinia, claſſes
Littore ab eoo noſtras armantur in oras.
His dictis procerum primis, regique ſuaſit
Armatos pedites, totas equitumque phalanges
In regni oppoſitas longe protrudere terras,
Scilicet ut nullo poſſit venientibus Afris
A parte adverſa, juſta vi, exercitu, et arte
Occurri, ac tenui, aut nullo diſcrimine Martis
Deſertas urbes, portis bipatentibus, hoſtis
Barbarus invadat, ſternat, dominetur, et intret
Impune. Turbat mentem præſentia belli,

Et terror populi, cedentiaque oppida paſſim
Victori Mauro. Majori fluctuat æſtu
Curarum; promptæ vires dum ad prælia deſunt.
Perfidiam demum Juliani damnat, et odit,
Cognita quæ ſero: graviori crimine dicit
Se ſontem, turpem quí tandem effuſus in omnem
Luxuriem, regni curas neglexerit amens,
Et cæcus graviter violati dicta parentis
Audierit, regni plenas et ſtultus habenas
Tradiderit cui tanta odii, tantique furoris
Cauſa pudor natæ violatus ſæpe fuiſſet.
His curis tortus gravibus noctesque, diesque
Inſomnes ducit. Noxæ furialis imago
Objiciens ſeſe ante oculos, figitque, premitque.
Heu quid aget? Rebus tantis, belloque gerendo
Inter tot proceres occurrit Sancius unus,
Quem ſincera fides, virtus quem bellica, ſanguis
Regius, et partæ commendat gloria pacis.
Huic belli curæ, rerum quoque ſumma poteſtas
Tota datur; primoque duci parere jubentur
Heſperiæ populi. Vocat ille ad prælia primos
Queis furor hoſtilis flammis abolere penates,
Sternere agros propius, natorum ſanguine ferrum,
Uxorumque, patrum fuſo maculare minatur.
Scilicet his vires, animosque in prælia fortes,

(Extinxit dudum quos mollis inertia) tandem
Reddet amor patrius; naturæque indita virtus
Pugnandi leges, quas non didicere, docebit.
Sancius has ducit turbas in prælia, quando
Eſt ſpes nulla ſuper. Sed nec ſunt tela, nec haſtæ, (d)
Scuta nec, et galeæ, non ferreus omnibus enſis.
Tantam longa quies animis pugnacibus olim
Segnitiem; tantum potuit ſuadere pudendi
Lan-

(*d*) *Inermem eò temporis fuiſſe Hiſpaniam prope univerſam, conſtat apud hiſtoricos omnes, idque ex Regio imperio factum. Cujus vero lege, Vvitizæ ne, an Ruderici? certo non conſtat. Qui legem hanc ab Ruderico latam fuiſſe exiſtimant, legis ſuaſorem volunt perfidum Julianum, vindictam ſuam molientem. Qui autem Vvitizæ id lege imperatum crediderunt, arbitrantur ab eo factum, cum timoribus angeretur, ne in ejus caput conjurarent ex iis aliquot, qui ab eo male habebantur. Utrumque nobis ſatis probabile apparet. Cæterum Vvitiza urbes omnes munitas arcibus, propnaculis, mænibus etiam expoliavit, relictis tribus Toleto ſcilicet, Legione, et Aſturica, quas ſibi ad refugium reſervavit. Id conſilii, ut noſtratibus infauſtum, ita fuit Mauris ſaluberrimum.*

Languoris vitæ mollis, venerisque cupido!
In numero ſpes una ſubeſt: ſeu fervidus omnis
Impetus oppoſito frangendus milite, ſive
Ab nuper captis arcendus mænibus hoſtis.
Accitis raptim, collectisque undique turmis,
Spem vultu ſimulans placido Dux Sancius ibat.
Sed juſtum præſaga mali imo corde timorem
Mens premit. Ut propius tandem ſua caſtra metari
Obtinuit; levibus, crebrisque laceſſere pugnis
Aggreditur Mauros, quó non experta juventus
Senſim militiæ, martisque adſueſcat arenæ,
Et vires acuat, ſtetque imperterrita contra
Hoſtes, cum tanti jactabitur alea belli.
Concurrunt acies, et bello exercita virtus
Hos juvat; aſt illis ſolus furor arma miniſtrat,
Et patriæ tandem ruituræ triſtis imago,
Ni teneant pugnam, et bellantes fortiter hoſtes
Suſtineant, vitamque velint pro prole paciſci,
Pro dulci patria, charo pro pignore patrum,
Conjugibusque, quibus crudeli morte minatur
Servitium crudele magis turpiſſimus hoſtis.
Cæditur acer Iber, ſternuntur fortia paſſim
Corpora Maurorum: belli furor ingruit ingens;
Ductoresque cadunt primi, et ſine nomine vulgus
Haud impune cadit. Timidos dum in prælia cogit

Dum fractis revocat vires, verbisque, manuque
Suſtinet hoſtiles animos Dux Sancius; ecce (e)
Ductori ſtridens per tempora venit Ibero
Acta ſagitta manu incerta; nam gloria facti
Inſignis preſſa eſt; jactavit vulnera nemo.
Concidit exanimis tanti pars maxima belli
Sancius, atque cadens Maurorum pectora firmat,
Proterit Heſperidum vires. Videre cadentem,
Efflantemque animam noſtrum vix agmina, vili
Cum concuſſa metu; gelidusque per ima cucurrit
Oſſa

(*e*) *Prælium hocce Sancii ſcimus ab criticis nonnullis negari; imo et fuiſſe ea ætate Regio ex ſanguine Principem ullum Sancium; cum, inquiunt, in Chronicis vetuſtiſſimis nulla de eo prælio, exercitusque Imperatore mentio fiat; et* Sancii *nomen Gothos inter in uſu non fuerit. De ſilentio quod ſentiamus, alibi innuimus. Quid vero prohibebat Gothos nomina uſurpare aliis provinciis præſertim vicinis communia, Vaſconum maxime, per quorum terras eorum plurimi in Hiſpaniam penetrarunt? Quid ſi duplici nomine Ductor ille appellabatur Gothico altero, altero Vaſconenſi? Equidem ipſe Pelajus Theodimerus, et Alphonſus Athanaildus in Chronico Iſidori nominantur.*

Oſſa tremor cunctis: frigent in prælia vires
Torpentes, lumen mentis pavor abſtulit; omnes
Projciunt ferrum, vitam vilique tueri
Poſſe fuga credunt, citius ceduntur inermes:
Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perque agros: ſævit crudelis ubique
Vis Martis, ſparſusque cruor crudelius iras
Suſcitat hoſtiles. Inimico ab ſanguine ſævi
Nec prius abſiſtunt, quam totis victor in agris
Adverſas penitus turmas abſumpſerit enſis.
  Nec cladem tantam mediis elapſus ab armis
Nuntius ad Regis Ruderici detulit aures;
Sed rumor certus, totis venientis et hoſtis
Infuſus terror populis; cum nulla viderent
Agminis immiſſi contra veſtigia tanti;
Non acies ſuper ulla eſſet, frænare furentis
Incurſus rapidos hoſtis quæ poſſet, et urbes
Heſperiæ gremio complexas arte tueri.
Scilicet, exciſſis jam turbis Maurus Iberis,
Per Bætis, Luſique citus diffundier arva
Cæperat. Ut quondam campos, viridantia prata,
Et ſata læta rapit, ſylvas cum vitibus altas
Eridanus, poſtquam dejecit flumine pleno
Oppoſitas moles, denſis quas undique cinxit
Arboribus vatum genitrix Ferraria, vallum

Ut flumen contra, gratæque tuentibus eſſent
Deliciæ, latis ſemper vernantibus arvis.
Haud aliter turmis Arabum victricibus omnis
Bætica, et exundant populi confinia regni
Heſperii crebris claudentes urbibus; Ingens
Hiſpalis et cecidit, qua non felicior ulla
Ædibus, erectis ſacris ad sydera Templis.
Sive ſolo pingui ſemper, quod multus inundat
Lenefluens Bætis, gremio acceptasque carinas
Ducit in optatum, lambentem mænia portum.
Urbs intacta manet Templis, atque ædibus: ipſa
Par animis viſa eſt, atque ambitione Tariſo
Accenſo, dicetur huic ea regia ſedes,
Et caput Imperii: Sed non intacta domorum
Gaza manet. Solido ex auro pretioſa ſupellex,
Crateresque graves gemmis, et quidquid ubique eſt
Materia, ſive arte valens conceditur hoſti
Præda, invaſuro pugnas audacius omnes,
Si ſpes certa gravis ſtimulat præcordia prædæ.
Hiſpalis ingentis caſus, totque oppida capta
Concuſſere metu, trepidoque egere pavore
In curas omnes mœrentia corda. Toletum
Ante alias timuit, poſtremæ et proxima cladi
Ipſa urbs viſa ſibi. Nec mens ea falsa fuiſſet,
Si totas acies, victricia ſigna ſuperbus

In caput hoc regni Maurus juſta arte tuliſſet.
Obſtupuit tantæ Rudericus imagine cædis,
Et propius cernens nutare in vertice regni
Grande decus, ſceptrumque peti: in ſe vertier unum,
Caſtra inimica, ſibi mortem, vel vincla parari,
Servitiique jugum, clamat. Terroribus aula
Turbatur; ſomnus Regem, et mens ſana reliquit.
Ut tandem terror cecidit: tum priſtina virtus
Audiri incæpit propius. Præſentia fati
Inſtantis regni rebus ſuccurrere ſuaſit
Absque mora, quacumque via. Simul imperat aulà
Cogere concilium procerum, quos rite coactos
Aurato ſolio ſublimis farier infit.
Turbine magnorum nos contra, et ſceptra malorum
Obruimur, proceres; regni et diſcrimina poſcunt
Ultima, poſtremis tandem conatibus uti.
Cauſa mali tanti (quid enim manifeſta negemus)
Nos olim fuimus, cum tanti exordia belli
Reſpuimus moniti, nec noſtra in regna parari
Credidimus vires Arabum. Quis crimine tanto
Turpari procerem regali ex ſanguine poſſe,
Jura Dei, patriæ, naturæ rumpere vincla
Crederet? Et procerem, regni cui maxima cura
Eſt commiſſa? locus noſtris in cætibus ille
Qui primus? nobis fuerat qui maximus auctor

Conſiliis pacis ſemper, bellique gerendi?
At non hoc tempus rumpendi e pectore queſtus
Iuſtos, ſed vanos etiam. Sors ultima rerum
Conſilium veſtrum depoſcit. Num omnibus arma
Indicam capienda viris, et flore juventæ
Quæ vigeat primo? Numero num lectus ab omni
Miles in adverſos mittendus fervidus hoſtes?
Integra quemque manent dicendi jura, nec ulli
Obfuerit, quamcumque dabit, ſententia præſens.
At patribus res viſa gravis, turbavit et anceps
Conſilium reſides animos, deſuetaque corda
Inſani Martis diris terroribus, arma
Dum adventare vident propius, totamque cieri
Heſperiam, varia turbantur imagine rerum.
Pars ſtupet extremæ cernens diſcrimina cladis,
Viribus et vellent totis concurrere in hoſtes.
Pars contra credit, totas certamine in uno
Non objectandas vires. Fit murmur in aula
Diverſum, donec ſurgens e ſede Pelajus
Inſignis belli ductor, quem plurima tollit
Gloria parta manu dudum: vaſtabimus, inquit,
Civibus ingentes urbes, cultoribus agros,
Innumeras acies tandem ut ducamus in hoſtes?
Quo fato? qua ſpe nos cuncti in bella ruemus?
Scilicet ut totas hoſtis certamine ſolo

Abſumat regni vires, regnisque potiri
His valeat citius, quæ defenſoribus ultro
Vaſtamus: turpi demum formidine capti
Sortibus incerti Martis committimus omnes
Spes noſtras, uno jactatur et alea caſu.
Bellantes res noſtra petit, non corpora; vires
Non numerum cenſet Mavors; tenuique ſub hoſte
Innumeras cecidiſſe acies tam ſæpe videmus,
Ut ſpes nulla mihi numero ab majore ſuperſit.
Nunc, eſto, juvenum, et facile eſt, quingenta virorum
Millia cogantur: quis juſtis agmina tanta
Armarit telis quæſitis omnibus oris?
Infauſtis avibus nuper cum miſſus in hoſtes
Sincius, inſtructam juſtis vix agminis armis
Obtinuit partem quartam, licet undique tela,
Et clypei, galeæ, lævis quæſitus et umbo.
Ardeat innumeris, ſine, nunc fornacibus acer
Celtiber, inſudet totis Cantabria tectis
Tela ſuper, gladiosque; prius mactabimur, armis
Quam ſe quisque virúm ad pugnas inſtruxerit æquis.
Fac ſint armati. Gens nulli adſueta labori,
Nullius imperio parens, metuensque pericli,
Unius adne ducis nutum procurret in enſes
Hoſtiles, vel terga dabit? Mavortis alumnos
Longa dies, ſtudiumque parit, non veſtis, et arma.

His ego prætulerim quingentis millibus omni ex
Ordine delectum juvenum terdena nec ultra
Millia; confidens iſtis modo ferrer in hoſtes,
Quos tot jam pugnis victores viribus ullis
Vinci poſſe negant, cuncti niſi in arma ruamus.
His graviter dictis, procerum pars magna Pelaji
In votum rapitur, quo non ſpes omnis in uno
Fortunæ caſu, nec res committitur uni.
Aſt alios certæ cladis præſentia (namque
Hos propius torquent hoſtes) vehementius urget
In bellum; ſtimulat dominans in pectore terror,
Et ratio ſuadet totas opponere vires
Hoſtibus immenſum creſcentibus, ante furentes
Oppida quam terras, et ferro regna ſubacta
Latius extendant: nec ſit ſpes ulla ſalutis.
His Oppas auctor regali ſanguine princeps
Vittis et ſacra redimitus tempora mitra
Hiſpalis Antiſtes, contra luctante Minerva,
Iam dudum dictus non uno crimine, namque
Paſtorale pedum gladio, ferroque minaci,
Et curas ovium Martis mutaverat arte.
Surgit, et impavidus: Belli primordia, dixit,
Tempſimus incauti, contraque potentia Mauri
Segnitie crevit noſtrorum; erravimus; error
Major erit, pavidi ſi nunc, timidique ſinamus

Hoſtes augeri. Qua nos ſpe in caſtra ruemus
Aucta magis, qui nunc adeo leviore ſub hoſte
Deficimus? Deſunt nobis et Bætis, et Anas:
Aſt intacta manent alia ipſis oppida regnis,
Regnaque brumales ultra protenſa Pirennes.
Non tentanda uno regni ſors ultima bello;
Omnis nec Regni vis eſt diſcrimine in uno
Experienda. Placet tunc hæc prudentia, quando
Damna ſinunt, nec certa manet majoris imago
Iacturæ; juſtusque timor ruitura ſuadet
Quæ modo conſiliis timidis, tardisque tueri
Credimus. In morbis levibus, quorum exitus aſper
Nullus erit, medicus damnatur, pharmaca juſſit
Ultima qui afflictis: eadem medicina probatur
Si vis invaluit morbi, vel parva ſalutis
Spes fuerit. Quantis jactemur fluctibus; omnes
Res noſtræ quanto trepident diſcrimine ſcimus.
Irruimus nuper turmis mediocribus, una,
Una omnes cecidere acies, quin Sancius ipſe
Dux quondam felix, Arabum vel frangere vires,
Siſtere ſive ſuos duro in certamine poſſet.
Tentanda eſt eadem rurſus fortuna ſiniſtra?
Scilicet ut totas turmatim prælia vires
Abſumant, aciem in ſolam quæ rite coactæ
Vix dubium facerent referendum ex hoſte triumphum?

Inde viros, juveneſque, domus quos nulla coercet
Cura, nec in generis ſervantur fata trahendi,
Eſſe jube promptos armis, pugniſque propinquis.
Qui renuat patriæ ſuccurrere rebus in arctis,
Privatamque velit timidus præferre ſalutem
Communi tanto rerum diſcrimine, norit
Se juſtas pænas ignavum morte daturum,
Turpiter et vitam fuſurum, reddere magna
Quam patriæ cum laude poteſt. Via ſola ſalutis
Omnibus ab cujusque modo virtute pateſcit.
Pro ſe quisque viros dum tot rationibus urget;
Scinditur et procerum ſtudia in contraria ſenſus:
Rex Rudericus ait. Fatis urgemur iniquis
O Patres, veſtra ipſa facit ſententia diſcors
Turbinis ut noſcam furias, quo volvimur, utque
Cautius in regni curas, bellique feramur.
Hoſtibus opprimimur, majorum turba malorum
Imminet et nobis. Sed non rationis egentes,
Non timidos nos ulla dies, pavidosque periclis
Arguerit. Noſtros dum ſpiritus hos reget artus,
Dum Gothus Heſperio commixtus robore ſanguis
Corde fluet, vis hoſtilis, fortunaque fruſtra
Nos adverſa premet: numquam moriemur inulti,
Ignavique; volens vitam pro laude paciſci
Eſt animus, pulcrumque mori qui credit in armis.

Noſtræ adeo ſedeat quæ nunc ſententia menti
Expediam paucis: nec enim tua dicta refello
Oppa magne pater, mihi nec ſpernanda, Pelaji
Sunt tua. Mens ſuadet centum concurrere in hoſtes
Millibus armatis. Vires exercitus omnes
Non iſte abſumet; terræque, urbesque manebunt
Scilicet intactæ plures, et viribus hoſtis
Longe majores vires opponimus. Oppa,
Tu duces acies, noſtra quæ lege coactæ
Littore ab auſtrali venient; geminique nepotes
Sub te pugnabunt juvenes Siſibutus, et Ebbas,
Egregii juvenes ſub te tolerare Magiſtro
Militiam, et grave Martis opus, tua cernere facta
Adſueſcant, primis et te mirentur ab annis.
Quas vero extremis Gallæcia mittet ab oris,
Aſturios fortes, tua quas Cantabria mittet
Armatas acies, gelidi tractuſque Pirennis
Præduros populos duces in bella, Pelaji.
Tertia bellatrix tandem mea ſigna ſequetur
Pone manus juvenum, curvo quæ vomere findit
Pingue ſolum noſtrum. Belli quoſcumque labores
Et ſortem, quæcumque fuat, nos militis inſtar
Poſtremi corde infracto, fortique feremus.
Ergo agite, o procerum lectiſſima pectora, turmas
Undique collectas alacris juſto ordine ducat

Quisque ſuas; et Luna prius quam cornua pleno
Lumine ter terris oſtenderit, agmina læto
Excipiat gremio fidiſſima Corduba, cujus
In latos cuncti campos veniemus, ut inde
Collatis ſignis, in caſtra inimica ruamus.
Ite, ait, et veſtris fidi ſuccurrite rebus.

FINIS LIBRI SECUNDI.

LIBER TERTIUS

ARGUMENTUM.

Heſperia in tota pugnantum millia centum
Coguntur Mauros contra. Rex ipſe catervas
Ducit in adverſos. Oppas, Princepsque Pelajus
Quisque ſuas ducit turmas. Ad fluminis Ettis
Caſtra locant. Crebris pugnis ad prælia plena
Proludunt. Totis pugnatur viribus. Afris
Imminet exitium. Vires ſed perfidus Oppas
Vertens, dat noſtris cladem, maurisque ſalutem.

UT populis lex dicta recens, patuitque ſupremum
Decretum Regis; velox ut fama per omnem
Detulit Heſperiam, captis ex urbibus hoſtes
Arcendos, totis pellendos finibus; utque
Nuntius edixit, proceres, primumque parari
Ad bellum Regem, trepido ſimul omnis in arma
Inſurgit juvenumque manus, patrumque tumultu.
Arma viri poſcunt, fervens fremit arma juventus;
Nec legis vis ulla, preces, iræve, minæve
Famaque Ductorum, ſermo vel fervidus aut hos,

Aut hos arma ſequi, ferrumque laceſſere ſuaſit
Fortius, in patriam dulcis quam flamma, decorum
Et libertatis ſtudium; quæque omnia vincit
Relligio, et Pietas cunctorum cordibus ardens.
Undique certatim concurrunt, ſignaque poſcunt,
Regia ſigna ſequi, turmisque admittier, hoſtes
Quæ propius contra pugnent. Fortiſſima quæque
Corpora ſcribuntur. Sorte hac excluſa juventus
Poſſe negat tacito premere altum corde dolorem.
Heſperiæ motus tantus, communis et æſtus,
Famaque in immenſum tollens quæ mira referre
Poſſe putat, Mauri Ductoris venit ad aures,
Edixitque, novas acies, totamque parari
In bellum Heſperiam, venturaque deſuper hoſti
Agmina, flammarum, venti seu turbinis inſtar,
Quæ vires perdant hoſtiles, captaque nuper
Mænia victori rapiant, caſtra omnia vertant,
Trans mare relliquias, fuerint ſi forte, repellant.
Obſtupuit tanti ſurgentis imagine belli
Dux primus, verſansque animo quibus hoſtibus una
Impetitur procul e patriis regionibus, inter
Subjectos populos; verum quos ſola coercet
Vis major, ſtimulatque animos diverſa ſacrorum
Relligio, ponunt mortem quique ante nefando
Servitio; vires confert dum viribus inde

Venturis contra, curarum fluctuat æſtu
Territus ingenti, parteſque agitatur in omnes.
Acrius inſurgunt Juliani in pectore curæ,
Sævius et fera corda domat, torquetque venenum.
Heu quid aget tanto captus diſcrimine rerum,
Si bellum ingruerit? ſi ſors inimica triumphum
Hiſpanis dederit? Neque enim ſpes ulla tuendæ
Vitæ inter Mauros, quos perdere fraude, doliſque
Credetur voluiſſe (nefas!) atque inſuper ipſi
Heſperii infenſi pænas cum ſanguine poſcent
Certæ perfidiæ. Curis his actus acerbis
Aggreditur dictis pavidus jam multa Tariſum
Horrentem, certaſque novi, magnique timoris
Solicito cauſas addit; ſuadetque petendum
Ab Muza auxilium; primos niſi perdere fructus,
Speſque velit cunctas cæptorum. Nec mora noſtris
Ulla, Tariſus ait, ſit ſenſibus, ibimus ambo,
Fortius et noſtris verbis urgebimus, hoſti
Queis occurramus, vires. Alcama, Maquedus
Interea rebus præſint, conſiſtere juſſi
Caſtris, nec firmis acies educere vallis
Auſint in pugnam, quamvis certamina poſcat
Caſtris inſultans hoſtis, flammaſque minetur,
Ambo ductores, rebus ſic rite paratis,
Herculeum properi, brevius quá panditur æquor,

Trajiciuntque fretum, Muzæque in mænia tendunt.
Poſtquam introgreſſi, et coram data copia fandi,
Quam fortunato pugnatum marte, quot urbes
Uliti imperio addiderit, quanta oppida victor
Militibus rapienda ſuis conceſſerit, auri,
Gemmarumque gravi dives quo pondere miles
Exultet, Muzam longo ſermone Tarifus
Edocet, et præſens quæ ſit fortuna reponit.
Intremuit noſtris, inquit, ſtupefactaque geſtis
Gens Hiſpana diem regnis, populiſque ſupremum
Adveniſſe putat, totis niſi viribus in nos
Irruat; innumeris ni turmis opprimat hoſtes.
Hic labor extremus: sunt hæc tentamina rebus
In miſeris poſtrema, manet cum nulla ſalutis
Spes, omnis vitæ et ceſſit fiducia victis.
Nunc quibus inſtantem vires veniamus in hoſtem,
Ferre vel aggreſſus deſperati agminis acres
Poſſimus, vires æquæ, ſimileſve fatemur
Deficiunt; unoque tamen certamine tota
Alea jactatur. Pugna qui victor ab iſta
Exierit, totis ſolus dominabitur oris.
Agminibus, credo, noſtris bene numen amicum
Hoſtibus hanc mentem, has ſpes, conſiliumque dediſſe;
Scilicet ut totam pugna non amplius una
Heſperiam victor Maurus teneatque, regatque;

Ipſe modo jubeas geminas tranſnare columnas
Armatas acies, fruſtra quæ hæc littora complent;
Luna prius terris iterum quam ſe aurea monſtret,
Deletas acies bello, totamque ſubactam
Heſperiam ſceptris Uliti, et maxima regna
Audiet Europæ potior pars, audiet Indus,
Et plaudens Aſiæ prædivitis audiet ora.
Sin contra ſtatues; uno omnes marte cademus,
Cæpta cadent, adeo quæ nunc felicia ſurgunt
Omine, et Uliti magni cadet inclita fama.
Iſta Tariſus ait: Julianus vota, precesque
Imas addebat, propere ut tranſmitteret oris
Hiſpanis acies; obteſtaturque verendum
Uliti ingeminans nomen, ſpondetque futuram
Felicem belli ſortem. Sed Muza tenebat
Defixos in terra oculos incertus, et anceps
Quid ſtatuet tandem. Factis nam fama Tariſi
Egregiis creſcens, venturaque culmen in altum
Laudis, ſi domitor regnorum, et gentis Iberæ
Dicetur, ſtimulis animum torquebat amaris
Invidiæ Muzæ. Vellet ſibi nomina, quæ ſors
Alterius meritis, alienis deſtinat armis.
Et piget incæpti, piget inſervire miniſtrum
Alterius famæ, cupidus quam quærit, et ambit.
At vafer, atque dolis multis adsuetus ab annis

Contra ſtare videt donini communis honorem,
Quem niſi perpetuis conatibus urgeat, ipſe
Proditor, atque reus dicetur criminis atri.
Artibus ut vafris mens longum exercita ſuaſit
Poſſe utrumque ſuæ tandem concedere laudi,
Afris ſi totus reſidens exercitus oris
Trans mare mittatur, facto et diſcrimine primo
Adveniat, rerum totas et ſumat habenas
Ipſe, cito rumpit vocem; mittetur, et inquit
Quod petis auxilium bello, pugnisque, Tariſe,
Et ne parva moræ fiant diſpendia, centum
Curſores mittit, ſparſas qui littora, perque
Vicinas urbes turmas, peditumque catervas
Feſtini jubeant accedere ad Herculis undas.
  Dum ſparſas acies, et turmas undique velox
Cogit Arabs, fervet totis Hiſpania regnis
Delectu, juvenumque decem ter millia ducit
Montibus ab gelidis, audacia corda Pelajus,
Queis neque bellorum diſcrimina, nec labor ullus
Signa metus, laſſique animi, fractive vigoris
Extorquere valet: duris exercita glebis,
Pauperiemque pati docilis gens; inſuper ardens
Chriſtiadum ſtudio cultus, nomenque tuendi
Mille per hoſtiles acies. Et ſi arma fuiſſent
Omnibus in pugna, poſcit Mars qualia, et artem

Pugnandi anguſtum pateretur diſcere tempus;
Nullas Romanus, nec Græcia tota cohortes,
Nec ſua Alexander jactans invicta vocaret
Agmina, Gens illo veniens de ſanguine, ſolus
Qui Romæ domiti decus ingens abſtulit orbis,
Diſtulit optatam vel plurima ſæcula famam.
Parte alia totidem populos, in prælia ducit
Oppas, delectu qui non contentus, ab omni
Evocat Heſperia furtim notiſſima dudum
Corda ſibi. Simulare jubet, ſcribique, trahique
Militis in numerum ſolo dulcique ſequendi
Præſulis in bellum ſtudio, quam morte tueri,
Si tulerit ſors atra, velint; cui ſanguine partam
Victori palmam referent, laurosque virentes.
Hoc tunc nomen erat; docuit poſt exitus altam
Perfidiam. Validis inſtructi viribus omnes (a)
Armati veniunt: gladius par omnibus, umbo
Æreus,

(*a*) *Sciebat ſcilicet Oppas unde ſibi repetenda arma eſſent ad improbum facinus tamdiu meditatum exequendum, quod perfici certe ſine armis non poterat. Veroque ſimile mibi videtur, ut, dum Julianus exarmari populos ſatagebat, Oppas hanc occaſionem nactus, plura ſibi arma repoſuerit, quibus in proximo bello uteretur.*

Æreus, et squallens auro lorica, refulget
Par tegmen capitis, latoque haſtilia ferro,
Et pharetra, et triplici volucres mucrone ſagittæ.
Hi complent acies terdenis millibus, omnes
Imperio prompti, ducibus parere parati
In quaſcumque velint partes deducere pugnæ.
  Nec minus interea Rudericus ab urbe Toleti
Internos populos in prælia magna movebat,
Turdullos, Celtas, Carpetanosque propinquos,
Qui Bætis, fontesque Tagi, ſurgentis, et Anæ
Flumina clara bibunt; quos mons Argenteus, et quos
Durius irriguis oriens perlabitur undis.
  Hos inter Princeps curru ſublimis eburno (b)
Fertur, quem Gothico ritu lucente smaragdo
Plurimus irradians adamas, adamante pyropus
Ornat, et eoo quæſitæ in littore baccæ,
Auro intertextæ; thorax, ocreæque recocto
Longe auro fulgent; fulvum galea alta Leonem
Suſtinet immani rictu, flammasque vomentem,
Pren-

(b) Ita omnes ad unum hiſtorici, quos viderim, apud quos celebris eſt magnificentiſſimus, ditiſſimusque apparatus, quo Gothi Hiſpaniarum Domini ad bella etiam procedebant.

Prenſantem regni dextra, lævaque coronam.
Dextrum Sceptra latus, lævum mavortius enſis
Occupat, et validum portendit dextera telum.
Ante oculos clypeus pendet, non ære, nec auro,
Sed neque multiplici gemmarum pondere mentem
Qui rapiat: magnæ artis opus, mirabile textum
In pretio eſt magno. Namque hic Didimaonis arte
Dictæi, cujus dudum gens inclita noſtras
Venerat ad terras, ſortis melioris amore,
Fortia facta Virûm, pugnataque bella Gothorum
Cernere erat Regum. Fulvo hic cælarat in auro
Ut Romanorum ſpoliis Athaulphus onuſtus (c)
Placi-

(c) *Athaulphus hic ſcilicet vir rebus bellicis clariſſimus, accepta in matrimonium ab Honorio Imperatore Galla Placidia ſorore, quam apud Forum Cornelium ſibi copulavit, ab eodem dono accepit Hiſpanienſes Provincias, quas tutari ipſe ab hoſtibus, et conſervare deſperabat; cum præſertim res Italicæ miſerandum in modum diuturnis, infeliciſſimisque bellis vexatæ, abjectæque jacerent; et Roma ipſa, Imperii caput bis miſerrimam diriptionem ſuſtinuiſſet: Suevi et Vandali Gallæciam, Alani Luſitaniam, et Carthaginenſem provinciam invaſiſſent: Silingi, quod Vandalorum genus erat alterum, Bæticam*

Placidiam ſpoliis charam magis omnibus unam
Ducebat ſponſam, ſociosque in regna vocabat
Heſperidum primus. Fortes ut Vallia poſthac (d)
Vandalios, Suevosque tribus congreſſus Alanos
Sternebat pugnis, et totis cedere regnis
Cogebat. Turmis Atilæ ut (mirabile dictu)
Quingenta Hunnorum Thodoredus millia, ſola (e)

---

occupaſſent. Iactis novi regni fundamentis, ſublatus eſt Athaulphus ab altero ex Gothis ſuis Barcinone, quod cum bellorum avidiſſimi ipſi eſſent; animum eis oſtendiſſet Athaulphus pacis artibus, quam bellicis paratiorem.

(*d*) *Interpoſito paucorum dierum Sigerici regno; ſuſcepit Gothicum Imperium Vallia, quod multis ipſe rebus bello præclare geſtis meritus dudum fuerat, quodque nactus mirifice amplificavit, devictis Suevis, Vandalis, Alanis, quos ſeorſim aggreſſus eſt tribus præliis, quæ totidem ei triumphos peperere.*

(*e*) *Sive Theodoredus, vel etiam Theodoricus cum Mæroveo Francorum Rege, atque Aetio Rom. Exercitus Imperatore in campis Catalaunicis contra Atilam congreſſus eſt memorabili illo prælio, in quo ſcriptores unanimi conſenſu memoriæ proditum reliquerunt, biſcentum*

Pugna, bis centum ſpoliabat millibus, utque
Relliquias Suevi furtim nova bella moventis
Fundebat victor Thodoricus. Maxima præda (f)
Ricciarus currum præcedit: Regia veſtis,
Et ſceptrum, capitisque decus diadema fuiſſe
Oſtendunt Regem, captivum vincula monſtrant
Aurea, queis nexus, manicæ cum compede, multo
Auro fulgentes. Sceptris ſic tempora ludunt.
Parte alia victor Luſos Euricus, et acres (g)

Hunnorum millia grandi internecione eſſe deleta; et ni Aetii perfida calliditas obſtitiſſet; qui prælium illud conſecutus eſt dies, ultimus Atilę, ejusque exercitui fuiſſet. Theodoredus autem in prælii exitu, cum jam nox incubuiſſet, et cæco nihilominus marte utrimque pugnaretur, fato functus eſt, oppreſſus ne ab multitudine ſuorum non cognitus; an ab hoſtibus? incertum.

(*f*) *Theodoricus fratricidio viam ſibi in paternum regnum aperuit, apertamque reliquit, ut eadem ipſa ab ſolio dejiceretur. Pugnatum ab eo eſt apud flumen Orbigum contra Ricciarium Suevorum Regem, qui captus ab Gotho, regno primum, vita deinde eſt ſpoliatus.*

(g) *Fratrem Theodoricum Regno, vitaque privavit, et regno non contentus, quod tanto ſcelere comparaverat;*

vici-

Gallæcos, Bætim, Cantabros, Oppida Iberi,
Celtiberos addit regnis, urbemque Toleti
Marte ſuis: ſpoliis et non contentus opimis
Acer in internos Gallorum effunditur agros,
Imperii et ſedes Arelatis collocat urbe.
Nec minus interea palmas, interque triumphos
Artificis caelum prudens exculpſerat arte
Eventus belli infauſtos. Alaricus ut arma (h)
Iuſta Clodovei ſtimulans, captusque duello

---

vicinis Principibus Luſitaniam, Gallæciam, Bæticam eripuit; Cæſarauguſtæ, Pampelonę, Tarraconis, quam prope funditus evertit, Toleti potitus: penetravit in Gallias; et urbes, provinciasque ſubjiciens; Arelatem cum perveniſſet; hyberna ſtativa exercitui ſuo in ea urbe conceſſit, ei urbs ſepulcrum.

(h) Patri Eurico ſucceſſerat Alaricus, et Francici regni potiundi inſana cupiditate actus; movit omnia, ut Clodoveum in bellum urgeret. Initum eſt prælium in agro Vocladenſi, quod cum diu ancipiti Marte pugnatum eſſet, et ſeſe viciſſim Reges agnoviſſent; alter in alterum pari mente, ac robore irruit. Stetere utræque acies adtonitæ, et teſtes futuræ victoriæ. Primo impetu utrimque valido æque, ac feroci, uterque rex percuſſus eſt;

prom-

Victori regnum ceſſit, vitam ictibus altis.
Hac Amalaricum fuſſis Childbertus, et acer (i)
Clotarus inſtigant turmis: In limine Templi
Sternitur infelix, ſacris dum quærit asylum
Ædibus. At tu promiſſis, Ariane, maneres
Con-

---

promptior autem, celeriorque cum adverſus hoſtem rediiſſet Clodoveus; Alaricum haſta confoſſum, atque extinctum dejecit ab equo.

(i) *Clotildem Clodovei filiam duxerat ea lege, ut liceret ſponſæ, quam baptiſmate acceperat, Catholicam fidem libere profiteri. At Arianus non diu ſtetit promiſſis, vexabatque crudeliſſime Clotildem, quæ nihilominus flecti patientia poſſe tantam ſævitiem ſperans, et exarmari, ſuſtinebat omnia mirabili conſtantia. Cæterum cum ſæpe ad ſanguinem usque percuſſa fuiſſet, videretque nihil apud crudelem impiumque virum valere tot annorum cruciatibus probatam patientiam; omnia fratribus Childeberto, Clotario, Theodorico aperuit, quorum exercitus ſuperatis celeriter Pireneis, Barcinonem ductus eſt, et commiſſo cum hoſtibus prælio, iisdemque profligatis, cum in templo catholicorum, quos tamdiu vexarat, aſilum quæreret Amalaricus; in ipſo limine ab Gallo milite haſta transfixus eſt.*

Connubii; claram nec Relligione Clotildem
Ius contra, et leges vexaſſes. Mœnibus urbis (k)
Emeritæ ſceptrumque ſuum, vitamque tueri
Poſſe putat, ſtratis pleno certamine turmis,
Agila, deſeruit dudum quem priſtina virtus.
Detractum ſolio, conjuratique videres
Ludibrium populi, tractumque in funus acerbum.
Summo umbone nitet redimitus tempora lauris (l)
Rex Leovigildus, fugiens cui Grajus opimas
Cedebat captas urbes Betim inter, et Anam.
Ceſſit et indomitus Pænorum Cantaber armis,
Romanique ducis. Rapiebat tela Suevus,

Non

(k) *Otio deditus ſuorum in ſe primo deſpectum, odium deinde excitavit. Perturbatis itaque regni rebus, exercitum comparavit, Cordubam obſidione cinxit; ſed obſeſſorum virtute, crebriſque excurſionibus exanimatus, turpiter fugiens, immenſas opes hoſtibus dereliquit. Poſtea apud Hſpalim primo prælio victus, intra Emeritæ urbis mœnia viſus ſibi eſt poſſe et vitam tueri, et regnum. Sed infælix ab ſuis etiam ludibrio exceptus, velut perſonatus Rex habitus, et deriſus, poſtmodum eſt vita ignominioſe expoliatus.*

(l) *Mente, ingenii acumine, bellica virtute cum præ-*

cipuis

Non tamen ad pugnam, ſed quæ victoris ovantis
Siſteret ante pedes. Felix ſi victor ab hoſte
Externo, internum ſuperaſſet fortius hoſtem.
Extinctus juxta jacet Hermenegildus, acerbi
Cauſa Patri fletus, meriti non cauſa doloris.

Svin-

---

cipuis Gothorum Regibus ſane conferendus; et, sì gentis ingenitam ferocitatem, et arianos errores dediſcere potuiſſet, immortalem fuiſſet gloriam conſecutus. Prædeceſſorum Regum ignavia, atque ſocordia factum erat, ut Græci rurſus pluribus Hiſpanienſibus oppidis potirentur; Suevi tributi jugum excuterent; Cantabri in priſtinam ſe libertatem vindicarent. Primos ab omni fere Hiſpania expulit crebris victoriis; alios ſæpe debellatos ad officium compulit. Tot hoſtium victoriis clarus, adeptam gloriam turpavit nece filii Hermenegildi, quì Catholicam, quam profeſſus paulo ante fuerat, fidem regno præferens; mori glorioſe maluit, quam deſerta fide, regnare. In hunc furorem cum actus fuiſſet Leovigildus ſuorum Gothorum metu potius, quam falsæ ſuæ profeſſionis obtutu; antequam moreretur, Leandrum ab exilio revocatum obteſtatus eſt, ut filium Regni hæredem Reccaredum Catholica Doctrina erudiret; et ſatis agnoſcens veritatem, ab ea profitenda humanis rationibus eſt deterritus.

Svintillam patrem populi pars infima Regem
Oſtendit clypei. Grajos hic arcet ab oris (m)
Heſperiis, raptis ſpoliatos urbibus, ultra
Victor agit ponti fluctus, ſpesque eripit omnes
Quæſitis toties regnis, cæloque fruendi.
Nec procul hinc ſceptri contemptor Vamba rebelles (n)
Sub juga mittebat populos cis, transque Pirennes;
Nemauſosque agros inimicis ignibus urens
Grandia devicti linquit veſtigia Pauli.
Quatuor eſt invectus equis, quibus omnibus æqua
Stirps, maculæ ſimiles, eadem pulcherrima forma
Corporis, indiſcreta ſuis cuſtodibus. Illi

Non

(m) *Reccaredi ſilius, inito regno, regiis omnibus virtutibus adeo inſtructus viſus eſt, ut Rex perfectiſſimus, paterque pauperum vulgo appellaretur. Bellicis artibus illuſtris, Græcos magnis copiis plures hiſpanienſes urbes occupantes, novasque adquiſitiones molientes ita compeſcuit, ac fregit, ut ab omni penitus Hiſpania exulare coacti fuerint, ſublata etiam ſpe omni iterum in easdem oras cum exercitu deſcendendi. Felix, ſi ut erat bello ſtrenuus, ac imperterritus, ita otio, ac pace uti recte voluiſſet.*

(n) *Sceptri contemptor Vamba communi conſenſione re-*

gno

Non vanos horret ſtrepitus; eſt ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obeſaque terga,
Luxuriatque toris animoſum pectus, et armis
Ut tuba clara ſono concurrere juſſerit arma,
Ingentes tollunt animos; nec vividus uno
Stare loco ſanguis patitur, frænoque ſubacti
Collectos tandem volvunt ſub naribus ignes,

---

gno adeo dignus credebatur, ut propoſita ei ab proceribus regni certa mors fuerit, niſi ſuffragiis electorum, votis populi, eum depoſcentis, manus dediſſet. Ceſſit illatę violentiæ cunctanter; et Rex plures, majoresque virtutes oſtendit, quam in eo privato ceteri admirabantur, quamque plures voluiſſent. Procerum aliquot opera, queis Regia virtus ingrata evadebat, atque incommoda, perturbatæ res publicæ ſunt in Gallia Gothica, Catalaunia, Aragonia, Navarra, et Paulus Exercituum Imperator Rex eſt ſalutatus. At Vamba peritus belli ſupra adverſarios omnes ſuos, coacto exercitu, profectus eſt in rebelles, quos præliis in omnibus protrivit. Devictis, debellatisque hoſtibus; rebusque regni compoſitis ſacris, atque civilibus mira pietate, ac Religione, ultro ſe regno abdicavit, in cænobium ſe recepit, in quo et Religioſiſſime vixit, et morte ſanctiſſima functus eſt.

Ore hauſit pregnans genitrix quos Bætis ad undas.
Sunt phaleræ, et torques, ſunt et gemmata cuique
Ornamenta, fulvum mandunt ſub dentibus aurum.
Pone venit lectus ſonipes Orelia luxu
Regifico, gemmis ſed et auro pulchrior ipſe, et
In quamcumque viam dederit fortuna, paratus
Corpore, vel curſu dominum, regemque tueri.
Circumſtant proceres dextra, lævaque frequentes,
Delecti regni proceres, quique agminis ingens
Robur, et intrepidi cuſtodia maxima Regis.
Jamque propinquabat campis Rudericus apertis,
Turdullus quos acer arat Bætim inter et Anam;
Cum propius celsos Marianos ſurgere montes
Vidit, et inſtructas acies, quibus ultima fervet
Planities. Oppas hic, et ſua caſtra tenentes
Princeps expectant Regem, propiusque ſalutant,
Explicitis vento ſignis, dulcique tubarum
Concentu, lituique cavi, fidibusque canoris.
Ut tandem triplex exercitus omnis in unum
Convenit, patuitque oculis vis quanta moveret,
Si in numero vis certa foret, ferretur et hoſtem
Adverſus: miles magno turgeſcere fauſtu
Incæpit; tumidisque hoſtes in prælia verbis
Provocat absentes; pleni ſpes firma triumphi
Eſt animo, damnatquas moras, quas rumpere poſcit.

Nec minus interea Ruderici gaudia mentem
Pertentant; fervetque animo ſpes indita, cernit
Dum tantas acies, tantumque in milite robur,
Ardere ad pugnas juvenes, ac temnere mortem.
Ergo prius quam corde vigor, ſpes mente tepeſcat,
(Noſcit enim quam ſit varium, et mutabile vulgus)
Utendum virtute ratus, trans agmina montes
Ire jubet, tali et deſcendere montibus altis
Ordine, planitiem teneant ut caſtra, parati,
Et prompti ad pugnas juſti ſint agminis inſtar.
Haud ſecus ac juſſi faciunt; equitesque Pelajus
Ante ſuos mittit, conſtat quibus ala ſiniſtra;
Inde ſuis Oppas inſtruxit cornua dextra.
In medio ſiſtunt pedites: qui ſpargere funda
Saxa inimica ſciunt, formant prima agmina, poſt hos
Arcitenens agmen ſequitur, tum tertius ordo
Exhibet armatos haſtis, teloque minaci.
Ut ſors obtulerat, gladius micat omnibus, aſt non
Par gladius; numerusque ingens non utile ferrum
Tractat, et in pugnæ longo diſcrimine certe
Manſurum; Clypei potius nec tegmen, ahænæ
Non galeæ, validos ſed nec thoracis in ictus.
Ardens armorum ſortem ſubit unica virtus,
Et ſpes in numero, juſtæ et fiducia cauſæ.
Agmina Rex claudit, quem circum mille feruntur

Haſtati juvenes, claros quos ſanguis, et iſti
Par animus, ſtudiumque movet pro Rege, Deique
Lege ſacra, patriæ pro libertate paciſci
Illuſtres animas. Totidem, mucronibus alte
Sublatis equites regem poſt agmina cingunt.
Nec vanum celeris motus, trepidumque fuiſſe
Conſilium inſtructas acies deducere in æquor
Res docuit. Campos exercitus omnis apertos
Vix tenuit; curſor cum nuper miſſus, ut oras
Exploret, rapidus veniens referebat, ab Afris
Innumeras veniſſe acies, quæ littora late,
Et campos totos complerent: Inſuper omnes
Hiſpalis, et Bætis turmas venientibus ultro
Acceſſiſſe refert; collatis ſcilicet armis,
Irruere in noſtros ſperant, et ſternere turmas,
Quæ primæ montes altos, ſaltusque relinquent.
Nec dictis dilata fides. Auſtrum inter et undas
Occiduas denſam conſurgere ad æthera nubem
Pulveris adspiciunt. Acies conſiſtere Princeps
Imperat, et ſpatium caſtris deſignat, et alto
Caſtra jubet, rerum prudens, circundare vallo.
Tum vigilum excubias duplicat, noctuque, diuque
Exploratores mittit, qui certa reportent.
Indicit ſociis, alacres ut corpora curent,
Arma parent, ſtellis primoque oriente fugatis

Lumine, quisque locum teneat, ſervetque receptum ;
Ne locus inſidiis pateat, nondumque paratas
Irruat in turmas hoſtis, fallatve doloſus.
  Ut campos tenuiſſe acies, et caſtra locaſſe
Heſperias primum novit, viditque Tarifus;
Spes primas cernens tenues vaneſcere in auras,
In melius vertit mentem, et ni pignora ſortis
Felicis rurſus Julianus certa dediſſet,
Armorum quamvis ſecum tot millia ducat,
Sitque animis, et mente ferox, venientia contra
Agmina ſpectaſſet muros apud Hiſpalis altos;
Non ignarus, amor patrius virtutis, et acris
Roboris, et quantum dulcis, ſacrique furoris
Inſpiret generoſo animo, tenuique popello.
Ergo movens turmas; paulum deflectit ab ortu
Solis ad occasum. Fixum ſtat corde locare
Caſtra procul, campisque acies educere apertis
  Planities fæcunda jacet Bætim inter et Anam,
Quam fluvius geminas in partes dividit Ettes.
(Voce una Hiſpani Guadaletem nomine dicunt)
Hinc, atque hinc latos campos, rarisque vigentes
Arboribus turmis offert, quibus ordine juſto
Quisque acies poſſit validas exercitus agris
Dividere, et tuta tentoria figere terra.
  Tunc primas turmas fluvium tranſnare Tarifus

Imperat, et pedites currit qua latior amnis,
Pone ſequi: turmis poſtremis agmina claudit
Ipſe, locum caſtris potiorem cingere circum
Aggere murorum, lata circumdare foſſa
Præcipit, et vallo: Namque hic inimica parato
Conſilia expectare libet; ſeu tentet Iberus
Hoſtiles acies armato invadere ferro,
Seu totas vires alio convertere, et urbes
Iam captas iterum priſcis adſcribere ſceptris.
   Hoſtilem agnovit mentem Rudericus, et acri
Robore confidens ſociorum, prælia ſentit
Poſcere quos, longasque moras abrumpere, fortes
Quas nolunt, pugnisque putant magis omnibus, armis
Infeſtas; omnes virtuti ſolvit habenas.
Caſtra movere jubet, ferri recto ordine in hoſtem,
Quem vallo ſeptum novit; quem linquere vallum
Cogi poſſe putat, campo et concurrere aperto.
Si renuat, miſſis circumdabit undique ſepta
Agminibus, frangetque hoſtes armisque, fameque.
His animis ardens miles ſua caſtra reliquit
Impiger, arreptamque viam, longumque laborem
Inceſſu celeri breviat, ſervatque, cavetque
Imperturbato ut gradiens exercitus omnis
Ordine, conſervet formam noctuque, diuque
Non ſecus ac medios incedat turma per hoſtes.

Et jam primæ acies vicinos fluminis Ettis
Attigerant campos, cum contra inimica tuentur
Caſtra procul, firmis cinctæ quæ mænibus urbis
Inſtar, agros ſpatio complent, atque inſuper omnem
Proſpectum eripiunt oculis. Conſiſtere juſſa
Agmina, delectumque locum circumdare foſſa,
Aggere munire, et denſis includere palis.
Iuſſa viri properant celeres, omnemque laborem
Sortiti, duro intactas attollere glebas
Pars certat ferro, ſtrictisque ligonibus altas
Effodiunt foſſas. Alii tellure tenaci
Effoſſa, formando inſudant aggere: raris
Pars ſpoliat campos, et ripas fluminis omnes
Arboribus; truncos alii fulgente bipenni
Certatim doctique dolant, ſcinduntque dolatos
Quatuor in partes: forma pars omnis acuta
Inſtruitur, valli qualem natura repoſcit.
Aſt alli rivos ducunt in caſtra; profundos
Effodiunt alii puteos; pars altera portas
Extruit, et validis addit munimina portis.
Fervet opus totis campis. Nec ſurgere moles
Arma inimica vetant; equitum quando agmina longe
Caſtrorum ab vallis, cæptisque laboribus arcent
Aſſiduis pugnis, crebrisque excurſibus hoſtes;
Nec ſine multorum crebra hæc tentamina fiunt

Cæde tamen: ſoli fuſo nec ſanguine pænas
Dant Arabes; fato ſimili cæduntur utrique,
Quique opus incæptum certant proſternere, quique
Artifices, operumque volunt incæpta tueri.
Exemplis equitum pertractæ in prælia firmæ
Sunt acies peditum. Iuvenum manus impigra poſcit
Hoſtes induci contra, virtutis, et artis
Tentamenta ſuæ facere, atque agnoſcere quantus
Surgat Arabs gladio, quanta vi fulminet haſtam,
Quam dexter telum vibret, volucresque ſagittas,
Arma prius certent totis quam viribus armis.
Annuit et votis Rudericus, fortia namque
Caſtra videt valido circundata robore; laudat
Parva prius duras contra certamina Mauros
Inſtitui, nova ne facies, inſuetaque turbet
Hiſpanos, cum tempus erit concurrere totis
Agminibus: diſcant experti, ſæpe latere
Fæmineos animos duræ ſub imagine formæ,
Non forma, ſed corde geri implacabile bellum.
Ergo feri caſtris erumpunt; flumina præter
Turmatim greſſi, viſis procul hoſtibus, armis
Inſultant, Arabes ſignis, ſed voce rebelles
In patriam ſocios Juliani ad bella laceſſunt.
Nec venti rapuere minas; longumque vocari
Suſtinuere; ſuos levia ad certamina primus

Dux Maurus, patriæque vafer dein proditor, oti,
Atque moræ impatiens Iulianus tendere contra
Mille jubet pedites hinc, atque hinc; mille ſequuntur
Partiti turmis equites; numerumque paremve,
Vel non diſſimilem longe ut proſpexit Iberus,
Conſtitit, et contra venientes fervidus hoſtes
Expectat. Teli ad jactum vix agmen equeſtre
Venerat impatiens pugnæ, cum tela viciſſim
Et celeres haſtas acies contorſit in hoſtes
Utraque. Tum ferri liquidum ſuper aera nimbus
Ingruit, et ſparſus primo certamine ſanguis
Excitat horribiles, acuitque in prælia vires
Amborum. Surgunt iræ, ſubeuntque virilis
Virtutis, mentisque locum; fremit effera pubes,
Cominus et pugnas ardet miſcere: coruſcat
Ferrea mucronum meſſis, gladiique rotantur
Fulminis in morem; ſanguis fluit undique rivis,
Commiſtisque viris et mixtis enſibus anceps
Stat Martis fortuna diu. Cadit Heſperus inde,
Sternitur et paſſim Maurus diſcrimine nullo.
Nec numero ex tanto miles ſuper ultimus eſſet
Ni ſol occiduis dudum feſtinus in undis
Ardentes merſiſſet equos, noxque humida primis,
Non fruſtra adveniens, obvolveret arva tenebris.
Pugnandi ceſſit nocti furor; effera ceſſit

Sanguinis hoſtlis rabies , et dira voluptas,
Cum demum ſocios vetuit diſtinguere ab hoſte
Nox fuſcis acies complectens cominus alis.
In ſua tunc tandem pugnator quisque receptus
Caſtra, quot hoſtilis ſocios abſumſerat enſis
Agnovit; ſed plena quibus victoria caſtris
Ceſſerit, incertum, donec ſol æquore ſurgens
Inter confuſæ diſtinxit cædis acervos.
  Quatuor inde dies inſtaurant prælia; ſorte
Nec valde abſimili pugnatum. Corde ſed imo
Acrius inſurgunt iræ, quibus ignibus ardent
Agmina, ſanguineæ quæ tot diſcrimina pugnæ
Nondum tentarunt, propius nondum ora, trucesque
Luſtrarunt Arabum vultus. Lux quinta coegit
Heſperios, Arabesque acies educere caſtris
Omnes in pugnam, totis concurrere tandem
Viribus, extremam rerum diſſolvere ſortem.
  Excipiunt turbę plauſu, fremituque ſecundo
Supremum veniſſe diem, qui littore pellet
Heſperio Mauros, et quo ſacra templa, penates
Et patrios poſſint, libertatemque tueri
Hoſtes externos contra, gnatosque rebelles.
Corpora curarunt vigiles, atque æthere nondum
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis;
Cum rauco lituum ſonitu, ſtrepituque tubarum

Sublatum ad ventos ſupra tentoria Regis
Vexillum regni primum. Mox quisque ſub armis
Sortiturque locum, denſis adſtatque maniplis.
Procedit caſtris ardens equitatus apertis,
Et longo flexu dextra, lævaque patentes
Amplectens campos; tempus, ſpatiumque relinquit,
Quo pedites acie poſſint juſto ordine ſiſti.
Primam aciem formant juvenes, Balearica miſit
Inſula quos bello doctos; his tempora cingit
Funda teres, qua ſaxa pluunt, vel plumbea grando.
Nam quando monuit ſignum concurrere in hoſtes;
Hi primi pugnas ineunt: nec certius ullum
Vulnus, aut clades hoſti procul imminet ulla
Certa magis; pugnant falcato cominus enſe.
Poſt hos armati telis, levibusque ſagittis
Inſtruxere acies. Curru ſublimis eburno
Has claudit multis cinctus Rex millibus, unde
Eventus pugnæ varios, caſusque tueri
Poſſit, et afflictis melius ſuccurrere rebus.
Ipſe etiam turmas, aciesque in prælia ductor
Jam Maurus caſtris eduxerat, agmina miſcens
Maurica fida magis ſcelerato milite ſigna,
Impia ſigna, ducem dirum, ſævumque ſecuto.
Circumſtant ipſum juvenum bis millia quinque
Lectorum numero ex omni; Sunt omnibus enſes,

Omnibus et lato fulgent haſtilia ferro.
Hi ſpes, et fortuna Ducis, rebusque ſupremis
Præſidium ſunto. Turmas ſic rite parabat,
Dum totas acies, quantum vis integra vocis
Ferre valet, ſtimulis acuit Rudericus in arma.
  Gratulor et vobis, inquit, cupientibus illum
Adveniſſe diem, tantisque laboribus ante
Quæſitum tempus, patriam quo, jura Deique
Et gentis noſtræ egregium defendere nomen
Perfido ab hoſte datur, tenuit quem nulla ſacrorum
Relligio, nullæ naturæ aut vincula, leges;
Barbaro ab hoſte, movet quem ſola inſana cupido
Cervicibus noſtris turpiſſima jura Maconis
Ponendi, legumque jugum, quod ferre gementes
Tot jam Chriſtiades ſcimus, telluris opimæ
Cæcus amor, ſtudiumque ardens altaria divum
Vertere. Servitio infami natosque, patresque
Addicunt, gnatas, uxores turpia cogunt
Ferre miniſteria, et dominis ſervire nefandis.
Quæ immineant vobis (quid fando demoror?) ante
Sunt oculos veſtros. Scitis quibus oppida nuper
Capta malis, quanto lacrymarum flumine ſortem
Infandam, amiſſam libertatemque ſequantur.
Arriſit fortuna quidem certamine Mauris,
Quo cecidit, vitio alterius, mihi ſanguine junctus

Sancius: hoc tumidus ſucceſſu Maurus, et amens
Difficiles ultro ſeſe conjecit in oras,
Unde referre pedem, patriasque requirere terras
Non poſſit, virtute uti, ſi et ſorte velimus
Felici, quam offert nobis bene numen amicum,
Infenſum ſceleri Maurorum. Vicimus olim
Hos Afros ſiccis Libiæ, Nomadumque peruſtis
Littoribus: pulſi noſtris ab finibus hoſtes
Grande decus Gothicum plauſu ſuper aſtra tulere.
Nosque rapi gentes noſtras, verti oppida, regna
Transferri in Mauros viliſſima pectora, durum
Servitium, domini nati, patiemur inulti?
Segnitie noſtra ſceptrum mutaſſe catenis
Heſperiam, dici timidi, vilesque feremus?
Horreſco memorans. Complent ecce agmina campos,
Quæ curas obteſtantur, quibus arma, ducesque
Militibus, formam ducibus, ritusque paravi
Vincendi. Quiquid pietas, ſceptrumque repoſcit,
Quidquid Relligio, noſtræ quoque gloria gentis
Poſtulat, ipſi vos teſtes, perfecimus: unum
Nunc ſupereſt, et majus opus, quod denique veſtrum
In manibus poſitum lætor. Victoria nempe
Certa manet, ſi veſtra uti virtute velitis,
Nunc cum majorum nomen, quod barbarus ardet
Obſcurare, Gothus ſanguis, quem optatque, ſititque;

Chriſtiadum cultus, ritu temerare nefando
Quos quærit, veſtra dependent omnia dextra.
In vos ſunt oculi verſi omnes. Vincite pugnam hanc,
Iſta dabit vobis plenos et ab hoſte triumphos.
  Nec minus interea verbis, ſignisque Tariſus
Impellens Arabes, campos monſtrabat apertos
Ante oculos, acies hoſtiles, æquora ponti
A tergo, non jam laudem, et nova regna, ſalutem
Omnibus, et vitam, libertatemque requiri.
Eſſe fugæ nullam timido, vitæque tuendæ
Spem nullam, præter vitæ, mortisque ferocem
Contemptum, quem certa manet victoria; Pugnam
Hanc unam ſceptrum Europæ, tumulumve daturam
Heſperiis Arabi campis; palmasque, cupreſſos
Funereas eſſe ante oculos: decernere ſolum
Inter utrasque animi robur. Memorabat avorum
Ex Aſia, atque Africa lauros, cladesque recentes
Queis ipſi nuper totam terroribus atris
Heſperiam excierant: acies contraque coactas
Enſe ferox ſignans: En agmina maxima, dixit,
Vis quorum in numero eſt omnis; nam corpora præter
Quid jactare valet collectum milite tracto
Hinc, atque hinc agmen raptim? Vis magna Gothorum
In numero eſt noſtro, nobiſcum pugnat, in illis
Sola manet ſpecies, vani quoque nominis umbra:

Quam quanti faciam, factis hæc dextera, quorum
Vos teſtes cupio, ſectatoresque, docebit.
Hæc dicens, pugnæ ſignum dedit. Horrida mille
Timpana mox ſtrepitu ſonuerunt: æthera rauco
Complerunt litui ſonitu; clangore tubarum,
Pugnantumque feris clamoribus æther, et omnis
Intremuit longe tellus, percuſſus et Ettes,
Et Bætis, rapidusque Anas videre fluenta
Urgeri curſum contra, retroque referri.
Irrumpunt Arabes, venientes occupat acer
Funditor injecta ſaxorum grandine primus,
Qua preſſus ſiſtit, turbatur et impetus hoſtis.
Nec ceſſare tamen, quamvis lumenque, diemque
Ex oculis denſa tolli caligine cernunt,
Quam jaculum nimbus, turbo volucrisque ſagittæ
Excitat. Incurrunt odiis violentius acti,
Cum ſterni paſſim ſocios, gemitusque cadentum
Excipiunt, lateque vident fluere arva cruore.
Ira docet non jam incertis decernere longe
Miſſilibus; curvos ſed uterque exercitus enſes
Stringit, et hos punctim, ceſſim nunc percutit illos
Absque mora, et requie: tepidis et ſternitur arvis
Trunca manus truncumque caput: ſed pectus apertum
Immani eſt aliis ictu, rivosque cruoris
Vulnere, et ore vomunt; ſtrepitum miſcetur in unum

Pugnantum clamor, gemitus, fremitusque cadentum,
Armorumque ſonus: Peditum confuſa ruebant
Agmina; cædebant Arabes. cæſſique cadebant
Marte diu cæco; turmas cum ductor equeſtres
Impulit in ſævos hoſtes, atque arma Pelajus
Arte locum ſpeculatus eques, quo perfida prædo
Agmina ducebat Julianus. Funera fando,
Ingenteſque ſequi verbis quis cladis acervos,
Irarumve æſtus poterit? Fornacis ut ignis
Creſcit in immenſum, volvitque ad ſydera rubros
Flammarum globulos, quoties vis virgea large
Injicitur; qualem ruptis fornacibus Æthnam
Vidimus undantem, liquefactaque ſaxa ſub auras
Immenſis flammis revomentem; pinguia quando
Incidit in nitri cumulum, vel ſulphura; clades
Haud aliter, triſtesque iræ, pugnæque furores
Acrius inſurgunt, vires et ab hoſte propinquo
Majores capiunt. Adeo certamine denſo
Concurrunt, vix ut telis, gladiisque rotandis
Sit spatium, pateat ſolis aditusque, locusque
Vulneribus. Strages dextra, lævaque frequentes
Accenſus furiis curru Rudericus ab alto
Hoſtibus intulerat; procerum primosque minaci
Urgebat telo propius: cum forte Pelajus
Agnovitque procul Julianum, et tendere furtim

In Regem vidit, ſpeculatum tempus iniquum.
Exarſere ignes animo, ſubiitque malorum
Triſtis imago, quibus patriæ communis Erynnis
Heſperiam totam prædo devoverat. Hic ne
Perfidus exultans animo, jactansque videbit
Excuſſos populos, noſtro fluere arva cruore,
Extingui procerum primos, Regemque ſudore, et
Sanguine conſperſum mediæ diſcrimine pugnæ
Urgeri, plaudetque ſibi, quod florida regna
Privatis odiis conceſſerit? Inſuper ardet
Regali dici ſceleratas ſanguine prædo
Intinxiſſe manus, odiique expleſſe furorem
Inſanum, Rege interfecto? Non ita, dixit;
Aut hac infamem dextra ſub tartara mittam
Prædonem patriæ, et pænas de crimine ſumam;
Aut tentaſſe mei jactura ſanguinis, ævo
Omni laudabor facinus. Vi corripit haſtam
Fervidus ingentem; latum denſosque per hoſtes
Findit iter. Contra venientem novit in armis,
Seque peti ſolum Julianus. Conſtitit acri
Perculsus, ſnbitoque metu; ſcit quantus in haſta
Adſurgat Princeps, quanta et virtute Pelajus
Emineat. Sceleris terret præſentia, cujus
Ante oculos triſtis facies, fructusque nefandi.
Dum quid agat, verſat; ſpeculatus juſta Pelajus

Tempora, vi inſolita fervens calcaria fido
Subdit equo, ferturque volans, ſubque inguine lævo
Confixit totis ſubjectam viribus haſtam,
Retraxitque citus: ſequitur tunc ſanguinis atri
Rivus, et ad nigras animus detruditur umbras. (o)
Inde alios juxta ſequitur, tepidoque cruore
Haſtam rorantem nunc hos, nunc torquet in illos
Strage pari, certos ventus non excipit ictus.
  Iamque acies Arabum perculsæ clade ſuprema
Cedebant campis; ingens et ab hoſte triumphus
Heſperiis aderat turmis: cum perfidus Oppas (p)
Mente

(o) *Perditi hujus proditoris fatum incertum quidem apud ſcriptores, apud quos poſt hocce prælium nulla ejus certa, et conſtans mentio. Si ſuperſtes fuiſſet ex pugna, non omnino inutilis ejus opera Mauris videtur futura. Sunt qui velint poſt prælium hocce ipſis quoque Arabibus deſpectum, ut accidere proditori ſolet, fuiſſe, et tuta in arce clauſum reliquos vitæ ſuæ dies duxiſſe miſerrime. Nec minus aſperam ſortem uxori, et filiæ ejus contigiſſe: ut in eo pleniſſime adimpleretur divinum oraculum; generationem ſcilicet impii radicitus extirpandam.*

(p) *Proditionem hanc in ipſo prælio, cum jam Mauri prope*

Mente dolos, tectumque ſcelus furiale retexit;
Atque equitum dextrum cornu, quod milite lecto,
Inſidias animo verſans, inſtruxerat acri
Contra defeſſos ſocios certamine vertit
Impius, et totis procumbit viribus hoſtis
Heſperios contra. Feſſæ ſtupuere cohortes
Fraude nova captæ: proſtrato reddita virtus
Et ſpes eſt Arabi fugienti. A fronte petuntur,
Et latere Hiſpani; contra hos nova prælia ſurgunt,
Cum longa fracti pugna, vix arma tenere,
Ægre ſtare valent. Confuſis agmina paſſim
Ordinibus, multa cæduntur ſtrage. Pelajus,
Et juxta Alphonſus ſuſtentant prælia, donec
Rex invectus equo pugna ſubducere ſeſe, (q)
Et

---

prope afflicti, proſtratique hoſtium vires conatusque ſuſtinere longius non poſſe ſibi videbantur, alii filiis Vvitizæ tribuerunt: nobis cum aliis vero videtur ſimilius, Oppæ adſcribendam; cum is eſſet perfidus hic præſul, qui in hoc negotio regere nepotes ſuos, quam regi ab illis mallet. Hoc certiſſimum apparet, ab hac proditione victoriam Arabibus, cladem extremam noſtratibus accidiſſe.

(q) Subduxit ſeſe ab pugna Rudericus ope equi, ad fugam,

Et vitam poſſit fugiens contra arma tueri.
Nec ceſſere loco, finemque dedere labori,
Adveniens donec denſis nox atra tenebris
Heſperidum obvolvit miſeram caligine cladem.

---

fugam, ſi opus eſſet, parati; cum bellicæ virtutis, ac roboris dediſſet in pugna experimenta haud pauca. Quo fato extinctus ſit, incertum. Equus trans flumen in loco paludoſo paulo poſt inventus cum diademate, regio amictu, ocreis. Ducentos poſt annos fertur fuiſſe detectum Viſei in Luſitania ſepulchrum, cujus inſcriptio ſignificabat, ibi oſſa Ruderici requieſcere.

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QUARTUS

ARGUMENTUM.

Heſperiæ rurſus dejectis viribus, Afri
Urbibus, et regnis potiuntur. Muza, Tarifus
Abdalaſizzus victricia ſigna reportant,
Subjuga jam miſſis populis, quot fluminis Anæ
Ab ripis nimboſa colunt poſtrema Pirennis
Culmina. Victori conceſſit Murcia, ſalva
Relligione patrum. Emeritam Dux Muza ſubegit
Grandia linquentem ſæclis exempla futuris.

NUnc age quas ſtrages, Clio, quæ funera Mauri
Ediderint, celeri curſu quot regna Maconis
Subdiderintque jugo turpi, cultuque nefando
Polluerint; lapſi maneat quem gloria regni
Relliquias ſervaſſe, quibus, venientibus annis
Crevit adaucta novis Hiſpana potentia regnis,
Tu vatem, tu, Muſa, mone, cui credita priſca
Factorumque fides, veterum et cuſtodia rerum.
Poſtera cum tenebris ſurgens aurora fugatis
Sublatum ex oculis ſolemque, diemque reduxit;

Egreſſi caſtris Arabes toto æquore campi
Proſtratas acies, confuſæ cædis acervos,
Communique vident concretam ſanguine terram,
Quantam acie poſſunt oculi ſervare tuentum,
Agnoſcuntque ſuos, Martis quos ira, furorque
Sanguine perfuſos hoſtili, et vulnere multo
Abſtulerant cæſos. Duplex hic fuſa jacebat
Vitizzæ proles princeps Siſebutus, et Ebbas,
Impulit in fraudem miſeros quos impius Oppas,
Fraus et in interitum. Julianum vulnere foſſum
Inviſam mordere vident telluris arenam,
Huncque jacet circum confuſum vulgus. Agazel,
Selimus, Muleaſſus atrox, et ſanguine perſo
Natus Aronthæus, pugnæ quem ſola coegit
Gloria, quem juvenem prima in certamina traxit
Laudis amor, patriæ virtutis et æmula virtus,
Alcamam circum cernuntur; vulnere quique hunc (a)
Confoſſum letho dederit, quem gloria facti
Egregii maneat, res eſt incognita: et inde
Agnoſcunt alios paſſim ſine nomine campis
Pro-

(a) *Ductorem Alcamam in prælio extinctum credimus, cum ejus nulla deinde mentio fiat; neque par ſit, ut Alcamam, et Alcamanum virum eundem exiſtimemus.*

Proſtratos. Hoſtes internecione ſuprema
Deletos credunt; poſtquam alta ſilentia caſtris,
Nulla inimica vident inſignia: caſtra patere
Conſpiciunt propius: nullo cuſtode relicti
Sunt currus, et equi, belli quoque lauta ſupellex.
Militibus demum prædandi ut facta poteſtas,
Omnia percurrunt, caſtris potiuntur apertis,
Diripiuntque ducum tentoria: Regia præda,
Quæ Gothico luxu ſplendet, ſatiatque, gravatque
Maurorum cupidos animos; juſſuque Tariſi
Præda omnis cumulum interea glomeratur in unum
Diſtribuenda dein, juſta vel ſorte trahenda.
Conſcius at tantæ cladis, cædisque Pelajus
Relliquias pugnæ, prima jam nocte movebat
Solicitus, duplicatque viæ, curſusque laborem
Multa movens animo, caſu et concuſſus acerbo,
Non tamen afflictus, vel ſpe dejectus ab omni:
Et quacumque viam tendit, nunc excipit hoſce,
Nunc illos fovet affl ctos. Ut ſæpe colonus
Impiger, immani fuſcus cui grandine nimbus
Flaventes late campis contrivit ariſtas,
Colligit exuvias tenues, queis turbo pepercit,
Quasque inſtaurandæ ſegeti fore ſemina noſcit.
Haud aliter fuſos adverſo marte Pelajus,
Vel ſtudio propero venientes colligit ultro.

Cordi eſt prima Duci pietas, et cura ſacrorum, (b)
Quæ ſervare cupit fædis ex hoſtibus, omni
Poſthabita rerum cura quacumque ſuarum.
  Ergo iter intendit rectum; primumque Toleti
Mænia magna petit. Locupletem ſcilicet urbem,
Regnorumque caput, collectis viribus, hoſtes
Si ſapiunt, bellique volent felicibus uti
Ominibus, cingent armis: qua ſi urbe potiri
Principe contigerit, regnorum cætera certo
Oppida fortunam, ſortemque ſequentur eandem.
His curis ardens ſacrorum rite miniſtros,
Ac primo Urbanum, cingit cui tempora mitra,
Adloquitur; ſacros libros, ſacra vaſa, beatas
Exuvias clara quondam virtute virorum
Infami properent ſervare ab gente ſuadet,
Se duce: quærendum rebus, rerumque miniſtris
Perfugium tutum ſacris, ne turpiter audax
Sacrilegus noſtris inſultet ritibus hoſtis.

(b) Has fuiſſe poſt acceptam cladem primas, præcipuasque curas pii Pelaji conſtans eſt ſcriptorum ſententia; Ducemque ab omnibus habitum eundem veluti ſceptro hiſpanienſi propiorem Principem in extrema illa rerum omnium perturbatione.

Nec mora conſiliis. Procedunt ordine longo
Qui libros, et vaſa ferunt, qui corpora divum
Relligione patrum multos ſervata per annos
Suppoſitis humeris, arcis incluſa ſuperbis;
Nec labor iſte gravis geſtantibus. Omnibus anteit
Alphonſus Princeps, circum quem mille feruntur
Armati: totidem hinc porro, atque hinc agmine denſo
Sacra reportantes ſtipant, et ſacra canentes.
Quatuor ex omni delectos ordine ſecum
Mille regens, agmen ſequitur, clauditque Pelajus,
In pugnam promptis animis, sì forte furentes
Auderent vim ferre piis gradientibus hoſtes.
Dum properans acies gazam ſervare ſacrorum
Tendit iter tutum, ſedes fidasque requirit.
Muza ſenex afris aderat devectus ab oris,
Excitus ad pugnas alienæ laudis amore, (c)
Creſcere quam torvis oculis, et ſurgere cernit;
Nec domitæ nomen primo, famamque Tarifo
Heſperiæ vult poſſe dari, ſe præſide ſummo.

Ergo

(c) Muzæ, Tarifique ſimultates ex ſola invidia ortæ notiſſimæ ſunt apud hiſtoricos, ut ex iisdem etiam habemus, easdem ſimultates in Muzæ primum, deinde in Tarifi caput recidiſſe.

Ergo ducum primos in magnum rite vocatos
Concilium, poſtquam docuit, nil hactenus actum
Felici pugnæ eventu, tantoque labore;
Sorte uti ſi forte ſua, rebusque ſecundis
Neſcierint, fructusque ſequi, quos plena repoſcit
In tanto rerum caſu victoria, dixit;
Nunc quoniam clade accepta, ſunt hoſtibus omnes
Abſumptæ vires, nec eis ſpes ulla relicta
Armandi ingentes acies, quæ fructibus uti
Tanta clade vetent partis; noſtra agmina partes
(In mare qua pateat noſtris via libera terris)
In tres partiri jubeo. Malaca, Granata
Sunto tibi, turmisque tuis pinguiſſima laudis
Et pretii meſſis magni, æternique, Maquede;
Tuque, Tarife, tuas acies quà Corduba regnat,
Victrices acies duces. Capta urbe, Toletum
Advenies, paſſim poſtquam tua ſub juga montes,
Planities, urbes locupletes miſeris. Illuc
Caſtra locanda tibi, quò nos veniemus opimis
Inſignes ſpoliis, ſi quid mens augurat æqui,
Quæ Bætis, quæ dives Anas, quæ Durius, et quæ
Multa Tagus, Miniusque dabunt. Ergo ite ſecundo
Omine, et Vliti ſceptris ditiſſima regna
Addite, et hæc noſtris accreſcat gloria geſtis.

Imperium prompti accipiunt, ſuaque agmina cogunt

Ductores. Sævit totis mox impia regnis
Vis martis. Sylva ut magnos cito concipit ignes,
Ingenteſque globos flammarum tollit ad aſtra,
Jam ſiccis avidus ſtipulis cum forte colonus
Scintillam injecit, partes ſpeculatus opacas,
Quæque magis pateant graviter tunc flantibus auſtris.
Haud aliter variis ardet correpta cohortum
Viribus Heſperiæ tellus; trepidantque, caduntque
Ingentes paſſim populi. Capta oppida centum
Victoris ſeſe Imperio, rebuſque Tariſi,
Relligione patrum ſalva, intactaque dedere.
Corduba dives equis ceſſit. Ceſſere Maquedo
Quot populi Malaca regit, quot magna Granata, (d)
Regia Maurorum quæ per tot ſæcla futura,
In quam venturi ferrent ſua vota nepotes
Spe non dejecti, quamvis et Maurus ab omni
Exu-

(*d*) *Audi Bunonem in notis Cluverianis. Ut a Chriſtianis Hieroſolyma, ita hæc civitas a Mauris deſideratur, adeo ut, ob ejus amiſſionem ſingulis diebus Veneris Vexilla ſua abſcondant. Quanta fuerit illis temporibus magnitudo, amplitudo, frequentia, oppulentia urbis hujus non ſine admiratione legitur apud pleroſque ſcriptores, quos adi, ſi lubet.*

Exulet Heſperia, forti et circundata muro
Deſpiciat vires hoſtiles. Non ita Muzæ
Contigit Emeritam dira ditione tenere.
Nec vos indictos, cives, veſtramque ſilebo
Egregiam virtute, viri, belloque relatam
In longo laudem: quam ſi mea carmina poſſent
In præſens quidquam tempus, tempuſve futurum,
Servari vellem, duroque perennius ære.
Urbs antiqua jacet (quondam tenuere coloni (e)
Romulei) fluctus rapidos trans fluminis Anæ;
Et qua nulla ſolo, nulla eſt vernantibus arvis
Pulchrior in terris Luſis, vel ditior. Illam
Mænibus ut firmis, foſſis, vallisque, præaltis
Turribus inſtructam vidit ſtupefactus, et hærens
Muza ferox, dixiſſe ſuis narratur, in urbis
Illius ornatum, munimentumque labores
Addixiſſe ſuos, inſudaviſſe diuque
Terrarum gentes omnes; ſe divite præda
Hac fore contentum ſola. Sed neſcia vinci
Urbs armis, cives infracto robore, quamvis

(e) *Auguſta Emerita ab Auguſto Cæſare coadita, et ab eodem deſtinata militibus qui jam ſtipendiis confectis, emeriti dicebantur; unde ab utroque ei urbi vetus nomen. Eſt autem juris hiſpanienſis*

Exigui numero, venienti ferrea clauſtra
Portarum objiciunt, et acuto cuſpide valli
Æternos vectes, et inundant flumine foſſas.
His aliud majus jungunt, hoſtique verendum
Munimen tum ſorte magis; fortiſſima nempe
Pectora, victricibus nunquam ceſſura catervis.
Quæ neque telorum turbari grandine poſſint,
Sive animis frangi, crebro licet ariete muri
Concuſſi trepident; latis rimiſve dehiſcant.
Omnibus idem animus, firmumque eſt omnibus idem
Conſilium, turpi patriam defendere ab hoſte
Sanguine profuſo, patriave cadente perire.
Nec Muzam latuere diu vireſque, vigorque
Invictæ gentis. Caſtris vix cinxerat urbem
Undique compoſitis; cum cives agmina totis
Educunt portis, inimicaque caſtra feroces
Invadunt, ad pugnam armis, verbisque laceſſunt.
Nec mora fit promptis animis; pugna aſpera ſurgit
Cominus; incertos arcus, celeresque ſagittas
Deponunt, lato capiunt haſtilia ferro,
Fatiferosque manu gladios, quos flumine tinctos
Credideris ſtygio; crebris ſic ictibus umbo
Æreus, et multo taurorum tegmine crudo
Defenſus, ſciſſus tenues evadit in auras.
Nec galeæ capiti, nec ſunt cuſtodia tuta

Pectoribus, squammis loricæ, auroque rigentes.
Cæſim ſinduntur validis mucronibus, amplam
Vel ferro, fatoque viam, mortique dedere.
Fit totos ſtrages per campos horrida, rivis
It cruor; armorum ſævus magis ingruit horror,
Quo plures letho occumbunt; viresque miniſtrat
Corporibus pugna fractis ſola integra virtus.
Non tulit egregios cives, contraque furentes
Spes omnes fati felicis Muza, coegit
Majores acies; his auctus fertur in hoſtes
Acrius: hi numero preſſi tantum impare tandem
Terga dare, et muri coguntur quærere ſepta.
Sed fuga fortis erat, fortique ſimillima pugnæ.
Agnovit factis edoctus Muza, virorum
Eſſe genus, quod non armis, campove patenti,
Nec poſſet virtute peti. Ergo fraudibus uti
Inſidiisque parat: quando certamina cives
In nova venturos, certa eſt ſententia menti.
Nec mens vana fuit. Laſſus vix namque quietem
Guſtarat miles, vix ſaucius artubus ægris
Attulerat propero ſtudio medicamina prima;
Cum rurſus ſeſe portis effundit apertis
Bello invicta manus juvenum, quos ſola voluptas,
Et laus ſola acuit patriæ ſub mænibus altis
Pugnantes fædo defendere ab hoſte penates,

Aut urbis caſum privata obvolvere clade.
Tecti ergo parmis inimica in caſtra feruntur
Impavidi, ferro dextra, lævaque trucidant
Adverſos quoſcumque; metus diffunditur ingens,
Atque metu rumor per Maurica valla, propinquas
In pugnam totis concurrere viribus urbes;
Quæque timent vidiſſe putant. Sed conſcia fraudis
Pars potior, ſimulatque fugam, ſociosque doloſæ
Ignaros artis, vallum vehementius urget
Intra caſtrorum, et totis diſcedere pugnis,
Longius ut cives abſcedant mænibus urbis.
  Nec procul ab caſtris aberant hoſtilibus, acres
A tergo claudi cum cives hoſtibus, armis
Ipſa à fronte peti ſpeculantur; namque reductis
En adſunt haſtis, ſtrictisque mucronibus ipſi
Qui modo terga dabant. Fraudes ſic arte pararat,
Inſidiasque novas, acies ſic vertere Muza
Infractosque animos ſperans, quos marte videbat
Difficiles victu. Delecto milite foſſam
Amplam complerat, muris, quæ non procul urbis
Abdita, quæſitis fraudique, dolisque jacebat.
Iuſſerat hos latebris emergere, fervidus hoſtis
Cum turmas, aciesque fugam, pavidumque timorem
Fingentes ſtrictis telis procul urbe ſequetur;
Atque ipſum prohibere via cum mænia quæret.

Agnovit pugnax acies diſcrimen, utrimque
Capta manu hoſtili, mortis non capta timore;
Attollensque animos majores, inquit, inultus
Nemo cadet noſtrum, circum licet undique cincti
Hoſtilibus turmis, armisque premamur iniquis.
Terga ſimul caſtris vertunt, et tela cruore
Sparſa diu, gladios rorantes ſanguine, pugna
Defeſſi quamvis longa, ſubeuntia contra
Agmina convertunt, via fit mucronibus ampla,
Hoſtibus et ſtratis, urbe excipiuntur amica.
Exigui tandem numero coguntur aperto
Marte carere, gravi nulli ſe credere pugnæ.
Viribus infractis adſunt ad mænia. Vana
Redditur ars omnis, ſævi quoque machina belli
Ingenium contra civis, roburque virile.
Muza fremit rabie, nec tantum clade ſuorum
Indignatur atrox, quantum furit, urbe qnod una
Victoris laurus, curſus bellique moretur.
Nec cives ceſſere prius fraudive, dolisve,
Et longæ fami, vel mænia victa dedere,
Quam ſalvas res cuique ſuas conceſſerit hoſtis.
Muza ſed optata demum ſic urbe potitus,
In partes geminas acies mox dividit, unam
Subjicit Abdalaſizzo, qui nuper ab afris
Littoribus, tantæ laudis ſtimulatus amore

Venerat, et gnatus Patrem nova bella gerentem
Orabat ſocius tantis adsciſcier armis.
Altera victorem ſequitur; qui exinde Toleti
Mænia magna petit, quæ jam obſidione premebat,
Devictis populis aliis, caſtrisque Tarifus.
Regia nec longum victricibus obſtitit armis
Urbs rectore carens, ſenſusque adsueta tot annis
Illecebris vinci, turpi et conſumier igne.
At ſanctos patriæ ritus, ſacra Templa, domosque,
Fortunasque cadens potuit ſervare, tributum
Solvere juſſa tamen, domino et parere ſuperbo.
Collatis ſignis Ductores Muza, Tarifus
Cæſaream Auguſtam tendunt. Urbs maxima cedit
Dives opum, quamvis multis habitata colonis;
In ſortem traxitque cadens quanta oppida præter
Et populos, et caſtra fluens fæcundat Iberus,
Vel quot cognomen fluvii de nomine ducunt.
Inde acies curſu rapido, tutoque feruntur
In gentes, quas Cinga rapax, Sicorisque tot annis
Cæſareis clarus pugnis, quos flavus arenis
Planitiem, montesque inter Rubricatus inundat.
Nec juga Maurorum quondam fortiſſima fugit
Tarraco Scipiadum donis Carthaginis altæ
Æmula, præcipuis olim caput urbibus: et quam
Condidit, atque ſuo de nomine dixit Hamilcar

Barcino, plaudendas inter felicior urbes
Artibus ingenii, ſævi quoque numine Martis.
Urbis nec magnæ ſortem indignata ſupremam
Auſa vetuſta ſequi, quamvis latera omnia circum
Montibus, et crebris populis munita tuliſſet
Obſidium longum: nimboſos usque Pirennes
Stravit iter Mauris cedens excelsa Gerunda.
Nec minus interea cedebant Oppida centum
Abdalaſizzi turmis, ab fluminis Anæ
Fontibus, ad terras, quas pulchra Valentia, quasque
Murcia dives arat, felix et Alona Lyeo.
Una omnes ceſſere urbes; non omnibus una
Conditio bellique fuit, vel fæderis æqua.
Nam qui ceſſerunt cives victricibus armis,
Hoſtibus et portas ultro venientibus urbis,
Tela, manusque metu capti, afflictique dedere;
Hi duram ſenſere minus victoris et iram,
Et rabiem belli: ſi quidquam militis acrem
Luxuriem, ſævos animos cohibere, vel auri
Exſatiare famen potuit, frænove tenere.
Qui vero pugnæ ſortem tentare, vel auſi
Oppoſitus longos Maurorum, et ferrea clauſtra
Objectare urbis turmis venientibus, horum
Turpiter erepti thalami; ante ora parentum
Confoſſi gladio gnati; puerisque, puellis

Virgineus maculatus honor, jusque omne pudoris.
Hi paſſi quidquid potuit ſuadere malorum
Fæda ſuperſtitio genti, cui vincula nulla
Naturæ, leges nullæ; pro lege poteſtas
Eſt ſola audendi quidvis, turpisque voluptas.
His invicta malis frangi, flective periclis
Haud potuere virùm fortiſſima pectora bello,
Murcia quæ genuit. Cives duriſſima quæque (f)
Excidiumque pati ſtatuunt, victoris et iras
Poſtremas, urbem flammis accendier, agros
Profuſo potius compleri ſanguine, chara
Pignora gnatorum fædis quam dedere Mauris.
Eſſe volunt virtutis opus, pactique decori
Fæderis, arbitrii ſed non hoſtilis, amicæ
Vel libertatis donum, pignuſve ſalutis.
Objicitur menti Numantia ſola, Sagunthus.
Ergo Rectores armari in prælia cives,
Undique quæſitis armis, juſſere, novasque
Surgere fornaces. Curis his vertitur omnis
Artificumque labor, duri quoque vomeris ardor.

Quid-

(*f*) *Quid ſimile memoriæ mandatum de aliis urbibus, ut puta Dertuſa, cet. Quod non ideo verti a nobis in dubium volumus.*

Quidquid ubique gravis ferri eſt, fulgentis et æris
Prompta manus juvenum centum fornacibus acri
Igne coquit , totidem poſitis incudibus, haſtas
Tegmina et umbonum, galeas, thoraca, ſagittas
Excudunt, aptant et acuta cuſpide contos,
Et curvæ rigidos falces conflantur in enſes.
Nec mora, nec requies operi noctuque, diuque.
Jamque adeo armati plures; cum nuntius hoſtes
Illice ſubjecta tumidos petere arva reportat (g)
Orcellis, quæ dulce fluens Secura rubenti, et
Piſcoſa fæcundat aqua; nec creditur, illam
Poſſe moras hoſti venienti nectere; quando
Gens afflicta metu, et magnis terroribus acta,
Deſeruit nullo defenſos milite muros,
Vicinos montes, et culmina celſa petivit.
Hoc magis inſtaurant operas. Ab flumine ducto
Aggere, quà Orcellim vergit, ſua mænia cingunt,
Aggeribus foſſam effodiunt, quæ plena moretur
Hoſtiles vires: primos ſi frangier armis
Contigerit valli oppoſitus, atque arceat urbe.

Hoc

(g) *Oppidum eſt nobile, amplum, vetuſtum ab Alona et Orcelli pari fere intervallo diſtans* (*incolis Elche*) *a quo Illicitanus ſinus nomen accepit.*

Hoc operum fervore animos ad bella viciſſim
Exacuunt cives; quidvis ſibi vivida virtus
Tentandum credit pro libertate parentum,
Et ſacro cultu. Tanta virtute minores
Nec ſpes mente fovent cives. Armantur ad unum
Omnes; armati portis funduntur apertis,
Iuſta acie turmis inſtructi. In fronte locantur
Corpore quì præſtant, firmis et viribus, et quì
Martis opus pugnis, artem bellique gerendi
Pugnantes didicere, ſuo qui ſanguine tela
Tinxerunt inimica, ſuos ſparſosque cruore
Hoſtili gladios oſtentant. Omnibus iſtis
Armorum genus omne datur; certamina quando
Et primi tentare, gravis quoque pondera belli
Ferre diu debent, pugnas committere primi.
 Ergo ultra foſſam procedunt ordine denſo,
Aggere et ingenti ſuperato, caſtra locantur
Delectis campi ſpatiis, quæ commoda pugnæ
Viſa magis. Sic inſtructi venientia contra
Agmina multiplici procul exultantia præda
Conſpiciunt. Signum belli jactatur ad auras;
Et pulsu peditum tellus tremit excita, montes
Vicini reſonant vario clangore tubarum.
 Ut vidit totos compleri milite campos
Abdalaſizus, cives opponere vires

Viribus, et contra victores arma movere
Auſos extra urbem; prohibere et mœnibus urbis,
Obſtupuit tantum miratus robur in hoſte,
Quem victum terrore, ſui quoque nominis acri
Crediderat dudum captum formidine. Primas
Ergo acies in caſtra jubet prorumpere. Cives,
Vix medium campi ſpatium confecerat hoſtis,
Occurrunt tecti clypeis; his tela, ſagittas
Turbinis inſtar aquæ concretæ frigore miſſas
Rejiciunt, firmo crepitant umbone, domorum
Ut tectis crepitans quondam ſalit horrida grando.
Nec tamen immiſſis cedit mucronibus ære
Multiplici tectus clypeus; geminentur ut ictus
Crebrius, et totis emittat viribus hoſtis.
Tum cives, haſtis alii, ſive cuſpide contis
Armatis, álii gladiis, duraque bipenni
Impavidi medios audent irrumpere in hoſtes;
Adverſosque prius funeſta clade trucidant,
Stringere quam poſſint gladios, vel vertere terga:
Turmæ miſcentur turmis, denſusque viro vir
Congrediens cædit, ſimili quoque cæditur ictu;
Lethiferoque cadunt ambo ſub vulnere victi,
Victores ambo; vires, nec ſcuta, nec arma
Vel vitam poſuere prius quam membra ſub armis
Lapſa ruant, fulva vel proſternantur arena.

It cælo clamorque virùm, gemitusque cadentum,
Armorumque ſonus, campis pugna aſpera ſurgit.
Tiſiphone palla victrix ſuccinta cruenta
Sævius in ſtrages nunc hos, nunc concitat illos,
Vipereos torquens crines, armansque veneno.
Iamque rubeſcebant effuſo ſanguine campi,
Et clypei, galeæ, confuſæ et cædis acervi
Arma retardabant pugnantum, pectora quamvis
Acrius igneſcunt odiis, ardentque furore;
Cum procul Abdalaſizzo nova timpana viſum
Audire, et tollens oculos, cinxiſſe corona
Mænia conſertas acies, nova et agmina portis
Educi vidit. Telorum ferrea meſſis
Effulget longe, lato et ſuper aggere ſiſtit.
Scilicet obſtupuit Maurus, timuitque coactas
Urbis in auxilium gentes, populoſque propinquos,
Et ſuper exhauſtas venturos turbinis inſtar
Longa acies pugna. Iuſſit clangore tubarum,
Sublatisque procul vexillis, arma morari,
Paciferæque dein ramum protendere olivæ.
Excepere moræ ſignum, et reſponſa dedere
Parte ſua cives: Martis, pugnæque furorem
Una omnes ceſſare jubent. In fæderis inde
Pacta vocat cives Abdalaſizzus, et ultro
Omnia ſalva dedit, libertatemque futuram

Perpetuam ſpondet; ditionis jura repoſcit
Qualia nec cives auſi ſperare, fidemque
Jurando pactam firmat. Cæpere volentes
Et cives pacis leges, et fæderis æquas.
Ergo urbem poſitis odiis, exercitus omnis
Armatus repetit. Medias panduntur in auras
Undatim vexilla: ſonus clangorque tubarum
Exultans animos victorum, et pectora mulcet.
Poſt cives medius fertur ſublimis in alto
Abdalaſizzus curru, quem pone ſequuntur
Inſignes acies Arabum; minitantia poſtquam
Depoſuere ſimul, turgentiaque ora modeſti.
Vallorum Ductor moles ſuperarat, et urbem
Ingreſſus, mirans oculos huc vertit, et illuc,
Delectasque novas acies, turmasque requirit,
Mænia quæ nuper denſa cinxere corona:
Culmina et egreſſæ complerant aggeris alta.
Deſertasque vias cernit, deſerta tuetur
Compita, miratur ſimul alta ſilentia tectis,
Non armatorum ſpeciem tota urbe videri,
Quam gravidam multis pugnantum millibus ipſe
Crediderat fidens oculis. Stupet inſcius, et ſe
Vana deceptum nec credit imagine rerum,
Nec turbas abiiſſe putat, ceu fumus, in auras.
Talibus et dubiis agitatam exſolvere mentem

Reſ erat haud factu facilis. Namque oppida cives
Capta Valentini cum ſcirent plurima regni,
Vexari populos ſubjectos, jura pudoris
Omnia laſcivo violari crimine; ſacra
Cælituum triſti ſpoliari templa ruina;
Iamque æſtus propriis incendia volvere muris
Aſpicerent; ſtatuiſſe ferunt, ſeſe arte, vel armis,
Et ſua profuſo vel ſanguine tecta tueri;
Intacto mortem illuſtrem vel obire pudore.
Omnibus idem animus, cordis vigor omnibus idem.
Fæmineum genus omne jubent inſignia Martis
Induere, accingi gladiis, prætendere lato
Ad pugnam promptis animis haſtilia ferro.
Et cum prima viri campis certamina apertis
Miſcuerint, ardor pugnæ cum ſævus, et horror
Acrius ingruerit: turmæ volitantia ventis
Fæmineæ vexilla darent, et tympana poſtquam,
Et litui ſonitu complerint mænia rauco,
Pars teneat muros, et ſeſe oſtentet in armis;
Pars alia in vallum portis ſe fundat apertis
Ingenti ſtrepitu; venientis et agminis inſtar,
Inſcia pugantum mentes, et pectora turbet.
Quæ dum fæmineæ condicto tempore juſſa
Perficiunt acies; optato fœdere cives
Compoſito, patriam, veteres ritusque ſacrorum

Seque, ſuosque gravi Maurorum ab jure tuentur,
Principis et caſus urbis ſubjecta ſequuntur
Oppida, Lorca, novum nomen, fundata vetuſta
Urbs ſed parva manu: vetus Dunaria, Cobel,
Baſa ſolo felix: Pænis Carthago Colonis
Dicta nova; Asdrubalis juſſu quæ condita, portu
Tranquillo gaudet. Decurrens ſaxeus olim
In mare mons, laterum objectu cingebat aquarum
Ingentem tractum, feſſas ubi vincula naves
Stupea tercentas longas non ulla tenebant,
Ferrea non curvo firmabat et anchora morſu.
Æquora nam longo tractu cunctantque, ſilentque,
Nec portus, qua parte patet ſurgentibus auſtris,
Et gremio naves venientes excipit amplo,
Undarum ſentit motus, aut æquoris iras;
Scilicet exſurgit media inter brachia montis
In mare protenſi ſcopulus, quo fluctus ab alto
Frangitur, et duplices aditus utrimque relinquens,
Occludit portum. Naturæ hæc munera nuper
Molibus immenſis Hiſpana potentia ad aſtra
Extulit, artis opes, operumque laboribus auri
Theſauros addens, facti infectique talenta
Argenti; noſtrique maris præ portubus unum
Reddidit optatum nautis, loca tuta carinis
Sive velint; laceras ventorum turbine naves

Vel reparare; novas malint ſeu cudere puppes;
Tranſtra vel, et remos, teretesque reponere malos.
Sic demum duplici regno, populisque potitus
Abdalaſizzus felicibus, Hiſpalis altæ
Mænia tendebat victor, quam jura Maconis
Excuſſiſſe recens norat; quamque impiger atro
Subdidit inperio, triſti et ditione ſubegit.
Regnaque tot ſæclis felicia, fluctibus inde
Oceani, celſis hinc circum clauſa Pirennis
Rupibus, infami ceſſiſſent omnia ſceptro,
Atque ſepulta ſuis jacuiſſent tecta ruinis;
Ni Pater Omnipotens ſortem miſeratus iniquam
Regnorum, gentisque piæ; ſervaſſet avitæ
Semina virtutis, bello ex ardente receptas
Relliquias, fortesque Duces de ſanguine Regum
Antiquo, miſeras qui res, qui ſceptra tenerent
Afflicti populi: quorum de ſtirpe nepotes
Triſtia primorum repararent fata parentum.

FINIS LIBRI QUARTI.

LIBER QUINTUS

ARGUMENTUM.

Salvandi Hiſperiæ ſceptri ſpem corde Pelaji
Suſcitat Omnipotens, Tendit confinia; contra
Caſtra movent Arabes; ſed victi fædera poſcunt;
Aſt ea facturus Princeps firmata, Damaſcum
Navigat; Uiti donis cumulatus opimis,
Inviſſis Solymis; conſcenſis navibus, atri
Deluſisque dolis, vano et conamine Ditis
In ſua felici perducitur omine Regna.

ATque ea per campos ſævo dum marte geruntur;
Pignora ſacrorum, ſacri ritusque miniſtros
Planities fugiens, excelso monte Pelajus
Depoſuit (qui *mons* nobis nunc *ſanctus* ab illo
Dicitur, ignoto nomen, nec gloria monti
Ante fuit) ſociosque ſuos ſuper ardua duxit
Oppida montano longe tutiſſima muro.
Non ſecus ac, quando valles viridantiaque arva
Diluvio ruptis immerſit molibus, Anas,
Cogit oves properis curis, inque ardua montis

Paſtor agit, viridis poſſint ubi gramina collis
Carpere, dum ſtrages camporum deſuper ipſe
Conſpicit, et, tutus quamvis, lacrymatque doletque.
Haud aliter Princeps concuſſus clade Pelajus
Heſperidum late populos, Regna ampla videbat
Fluctibus obvolvi bellorum; ingentia paſſim
Oppida proſterni; cunctis dominarier oris
Arma Mahumedis; ſedes in turribus altis
Obtinuiſſe Crucis creſcentis cornua lunæ.
Ah' gemuit quoties perculsus corde dolore!
Ah quoties oculos vertit, lumenque peroſus
Auſtro terga dedit; ſeptemque trionibus alte
Subjectas cautes cernens gaudebat? at inde
Vi graviore rapi ſenſim mentesque, oculosque
In partes contra poſitas, in regna videbat,
Quæ cauſæ gemitus; proprio quæ ſanguine vellet
Eripere infenſis ſceptris; mixtamque dolore
Imo corde ſpei flammam, lumenque ſuavis
Exciri ſentit, ſuccurrere poſſe cadenti
Se patriæ, excidio poſtremo ſceptra tueri,
Et Gothicum regale decus de clade receptum
Communi, ſeris quondam tranſmittere ſæclis.
Spes inter blandas hærens, ſævosque dolores
Incertus, quid fata ferant; compellat amicum
Alphonſum, quicum curas partirier omnes,

Et rerum caſus varios, dubioſque ſolebat.
Quem puerum, et teneræ vernantem flore juventæ
Ipſe ſibi ſocium bellis adſciverat, alte
Illius ingentes animos miratus, et acre
Ingenium, moresque graves, quos aula, nefandis
Increſcens vitiis, nulla turpaverat aura.
Quo res noſtra loco? quo nunc, Alphonſe, receſſit
Gloria regnorum, terris quæ maxima nuper
Adveniens ſummo ſol adſpiciebat Olimpo?
En prolapſa jacet: totam mars ſævus in afros
Tranſtulit; et pulchris gaudens gens impia regnis,
Heſperias proſternit opes; altaria Divum
Desjicit, et ſacras ſupremi Numinis aras
Proh ſcelus! infandis deturpat ritibus audax.
Quæ pietas patriæ poſcebat, quæque vigentes
Tunc vires utrique dabant, vos ſidera teſtor,
Præſtitimus: gladios inter, mediasque ſecures
Irruimus, patrios quavis ratione penates
Excidio eripere, aut communi occumbere fato.
At contra juſtas offenſi Numinis iras
Nil vires, nil arma valent mortalia, morte
Quæſita toties ſalvati, funere acerbo
Supplicium gravius patimur. Quid durius uno
Quam non poſſe ſemel fato frangique, rapique?
Lumina et æternum miſeris occludere rebus?

Quid queror, et memorans cordi grave vulnus acerbo,
Solamenque mali, nulla medicabilis arte,
Exquiro, tibi dulce caput, tibi triſtia fata
Augendo repetens? Regalis ſanguinis ambo
Ecce ſuper ſoli fuimus; cum nullus in hoſtes
Sævius ingruerit, Maurorum et ſanguine ferrum
Crebrius extulerit tepefactum. Vivimus? Anne
Hæc ſine mente Dei fieri, ſine numine credam
Illius, qui cuncta regit mortalia, quique
Dum juſtas repetit pænas miſeretur? An ipſi
Funere ſervamur, nobis ut regna ſupremum
Excidium fugiant, noſtris conatibus olim ut
Priſtina venturæ renovetur gloria genti?
Hujus ego non parva ſpei mihi ſemina naſci
Sentio; crudeles hæc inter ſola dolores
Mitigat, et mulcens animos noctesque, diesque
In facinus me grande vocat: ſperare ſuadet
Quæ ſors cumque volet ſupremi ab Numinis ore,
Cujus et auxilio primum mens audet ab hoſte
Jam jam venturo non ſola hæc ſacra tueri,
Sed quotquot populos, gentes, atque oppida cingit
Littore ab occiduo pontus, confinia terræ
Sunt ubi, Vaſconum poſtremos usque Pirennes,
His ego nunc terris claudam nutantia ſceptra;
Inde renaſcetur, ſi mens mihi nuntia veri,

Nec ſpes vana movet, noſtris nova gloria regnis.
Hæc dicens, oculos defixus in ore tenebat
Alphonſi, motusque animi, ſenſusque notabat.
Isque ubi ſermoni finem dedit ore Pelajus;
Tunc contra ſic pauca refert. Ingentibus auſis,
Sed quæ digna, Pater, magno ſunt nomine, noſtris (a)
Quod tua dextra tibi peperit dudum inclita bellis,
Ne quæſo, ne me ſocium, comitemque recuſes.
Eſt mihi par animus pugnis, eſt parque periclis
Contemptus vitæ, didici quam pendere magni
Poſſe ubi cognovi pro libertate paciſci
Communis patriæ, ſacris pro altaribus, et pro
Relligione patrum: regnis magis omnibus una hæc
Chara mihi mentem inflammat noctesque, diesque,
Inque graves ſtimulat caſus, inque incitat arma:
In ſomnis ex quo Pietas hiſpana jacenti
Viſa mihi ante oculos adſtare, oſtendere frontem
Afflictam, lacrymisque genas perfuſa nitentes,
Quæ dabat, hoc uno comprendere carmine juſſa:

Sa-

(a) Socerum Patrem vocat, cujus filiam Hermeſendam, ſive Hermeſindam matrimonio ſibi copularat, ut novo vinculo utriusque animus, ac ſtudium arctius in ſuſcepto opere, vehementiusque laboraret.

Sacra, ſuosque tibi commendat Iberia natos.
Nec me degenerem demiſſis æthere ab alto
Officiis, vel tetra dies, fortuna vel atrox
Arguerit; ruptisque prius radicibus imis
In mare ſe montes iſti volventque, dabuntque
Præcipites curſu rapido, quam Martis acerbi
Aut furias timeam, pugnæ ſortemque recuſem.
Qui jubet, is ſpondet; dubiis non eſt locus ullus.
Teque, Pater, te pone ſequar, ſeu ducere in hoſtes
Sævius armatos placeat, ſeu caſtra tueri
Iuſſeris, et turmas hoſtiles pellere vallis.
His animi accenſi dictis: firmumque Pelajus
Conſilium populis poſtquam patefecit, ad arma
Undique concurrunt gentes, quas impia nondum
Vis belli, martisque furor violaverat, et quæ
Devictæ nuper, debellatæque nefandis
Triſtia ſubdiderant Maurorum colla catenis.
Hos in bella movet duræ experientia ſortis
Gente ſub infami, lex et quam nulla coercet:
Aſt illos metus acer agit, maluntque quibusque
Pugnantes proprium caput objectare periclis
Quam ſeſe, vxores, gnatos diſcrimine nullo
In ſervos impune rapi crudeliter omnes.
Hos ubi conſertos audere in prælia vidit,
Accenditque gravi mentes ſermone Pelajus;

Omnibus arma viris indicit. Saltibus inde
Excubias ſervare jubet, ſimul arcta viarum,
Anguſtas montis fauces, aditusque malignos
Pervigili Mauros contra obſidione tenere,
Ne poſſint impune viam tentare, vel auſint
Si montis penetrare ſinus, circumundique ſaxis,
Telorumque gravi cogantur turbine preſſi
Retro ferre pedem, et multati in caſtra reverti.
Nec fruſtra Dux urget opus, quo ſemita truncis
Clauditur arboreis, ſaxisque ingentibus omnis.
Nam vix ſuſceptum compleverat arte laborem;
Cum procul adventare videt toto æquore turbas
Maurorum, totos compleri milite campos,
Inſtructasque acies fluitantibus aere ſignis
Exciri ad pugnam cernit. Fera buccina montes
Terrificis implet late clangoribus altos.
Scilicet Abdalaſizzus, ductorque Tariſus
Indignum, fædumque rati, victricibus armis
Jam tot regnorum miſeras obſiſtere gentes,
Difficilis quas una ſoli natura tumore
Implebat tanto; cum propugnacula, præter
Montis inacceſſi rupes, ſcopulosque minaces
Nulla forent ipſis; et deſperatio poſſet
Sola locum miſeranda ſpei, ſortemque ſubire.
Omnis ne Heſperiæ devictæ gloria gentis

Unius ob populi temeraria facta ſilebit?
Exiguæ numero gentes, quibus ira pepercit
Martis ab inſtanti fugerent cum cominus hoſte,
In longum referent, cunctabunturque triumphos?
Et quos victores timuerunt Oppida mille,
Oſtentantque ſuas portis bipatentibus urbes,
Hi modo tardati, vili vincemur ab hoſte?
His furiis animi accenſi montana requirunt
Circum ſaxa vias; armato milite complent
Nunc hos, nunc illos aditus: ardentius audent
Interius penetrare vias montem inter utrumque,
Hoſtilis quando facies ſe nulla, vel arma,
Nulla inimica manus contra venientibus obſtat.
Jamque acies montis fauces intraverat arctas,
Aggere truncorum quas dux concluſit, et alto
Demiſſis celſi montis de culmine ſaxis;
Cum ſubito inſonuit cornu; viſusque repente
Mons armatorum cinctus, tectusque corona.
Nec cinctus, viſusque prius, quam vallis, et omnis
Horribili gemitu, magnisque ululatibus æther
Maurorum late reſonaret. Grandia nempe
Saxa ſimul ſummis evolvunt montibus, imbrem
Effunduntque ſimul lapidum, quibus ætheris omnis
Conſpectus, ſolis lumen ſubducitur omne.
Horribilis viſu clades; miſeranda vel hoſti

Si minus intentus jaculando e monte fuiſſet
Imbre ſaxorum. Deprenſus namque viator
Ut medio ſi forte fuit nudi æquore campi,
Cum ruit increpitans lapidoſæ grandinis imber,
Huc greſſus vertit pavidus, convertit et illuc
Feſtinus, quærens quá ſit fuga libera mortis;
Donec contuſus repetitis ictibus, atræ
Languida compoſuit, perfractaque membra quieti:
Haud aliter Maurus ſaxorum grandine preſſus
Dum fugere hanc quærit, revolutis grandibus alto
Opprimitur ſcopulis, donec vi victus, et omni
Spe poſita vitam, fractos artusque tuendi,
Hoſte inceſſanti; concuſſum corpus acerbæ
Deſtituit, traditque neci, jacuitque peremptus.
Talibus inſidiis vix retraxere cohortis
Relliquias Arabes: bis ſeptem millia poſtquam
Fato infelici morientia membra dedere.
Hinc Mauris rabies, crevit ſpes major Iberis.
Undique concurrunt alacres quot linquere terras
Mauris ſubjectas potuere; nec aſpera tellus
Jam ſatis eſt populis ultro venientibus. Ardet
Abdalaſizzus furiis immanibus; ardet
Inſano captus, cæcoque dolore Tariſus.
Rurſus in abruptos acies immittere montes,
Rurſus iter tentare jubent, qua ſemita monſtrat

Se facilem primo fauces intrantibus. Intus
Immiſſum primum paulum proceſſerat agmen,
Heſperidum cum lecta cohors e rupibus altis
Deſiliit, ſævitque animis, rituque Leonum
In pecus, inſurgit furiis, cunctosque trucidat.
Inde referre acies iterum coguntur acerbo
Ductores animo: cæptis deſiſtere victi
Nec potuere, nova donec de clade recepti
In melius mentem mutarunt. Poſſe putarunt
Hæc fieri populis aliis exempla, Maconis
Qui juga jam pridem, et leges ſubiere coacti:
Poſſe novas victis naſci ſpes jura tuendi
Priſtina, belligero, proprio et ſub Principe, cujus
Nobilis in bellis jam dudum cognita fama
Nobilius regnis nomen promittit Iberis.
Ergo Oratores lecti, qui caſtra Pelaji
Celſa petant, ejus congreſſum, fædera pacis
Quo tractent, ſimul indicant; tempusque, locumque
Ipſe legat, poſcunt; firmantur et obſide dicta.
Annuit et votis Arabum non multa moratus
Egregius Princeps, nec enim temnenda, ſed ampla
Viſa ſibi eſt, tenui ſurgenti et gloria regno
In pacis leges, et fædera juſta vocari
Ab Ducibus bello claris, quos inclita fama

Illuſtrat, meritis cingit, decoratque triumphis
Totius Heſperiæ victæ memorabile nomen.
Lectis ergo viris numero Dux magnus ab omni
Aſpera linquebat montis; jamque arva tenebat
Plana, ſub ingenti cum conſtitit Ilice, multis (b)
Jam ſæclis populis illis quæ ſacra, ſecuris
Senſerat haud ullos ictus; frondoſaque circum
Plurima in implexum diſtendens brachia gyrum
Solis inacceſſum radiis, venientibus umbram
Grata viris, umbram pecori, pecoriſque magiſtris
Præbebat dulcem. Montanis mentibus illum
Excierit quæ cauſa gravis, quiſve auctor honorem
Iliceo trunco dederit, ramisque tributum
Intactum ſemper ſervarit, fama vetuſtis
Audiviſſe atavis, vel cognoviſſe negabat.
Solus ab incerta conſtabat origine rumor,
Venturum tempus luſtris labentibus, ingens
Cum res, Heſperiis ſemper memorabilis oris
Ilice ſub ſacra ſtatuetur fædere firmo.
Nec Princeps Arabes Ductores arboris umbra
Expectare diu potuit; conceſſit uterque

Sci-

(b) *Quæ de Ilice narrantur, non ex fide hiſtorica, ſed ex licentia poetica ſunt deprompta.*

Scilicet huc Ductor, poſtquam videre Pelajum
Illuc vertentem veſtigia. Poſtque ſalutem
Alternis inter ſe dictam nutibus oris,
Defigunt haſtas in terram: nixus et haſtæ
Quisque ſuæ, ſummis ineunt de rebus, amicis
Concilium verbis (Mores hos ſimplicis ævi
Intemerata fides ſervabat priſtina, ritus
Non alios pactis conventis) fædera firmant
Et pacis leges ſtatuunt. Te, magne Pelaji
Sceptra ſuper montana manent hæc oppida, quotquot
Uliti nondum magni mandata capeſſunt:
Hique tuis montes regnis confinia ſunto:
Quæ numquam fruſtra ſervaveris. Arma, cohortes
Uliti quotquot ſubsunt victricia ſceptris
Audentes contra numquam patientur inultos:
Tu tantum pacis leges ſervare memento,
Atque Oratores Uliti ad mænia mitte,
Delectos virtute viros, qui Principe coram
Has noſtro pacis leges, et fædera firment.
  Annuit his Princeps placido mox ore Pelajus,
Accepitque, deditque fidem, ſeſeque Damaſcum
Venturum dixit, ſinerent modo Numinis alti
Æternæ leges: Socium tunc Ductor uterque
Agnovitque lubens, juſtoque ſecutus honore eſt.
  Perfectis rebus, caſus mirabilis omnes

Et cæcas Arabum mentes percuſſit, Iberis
Et ſtupor eſt ingens ortus, quem pone ſecutus
Lætitiæ cumulus plenæ. Vix ilicis umbra
Egreſſi paulum Ductores ampla per arva
Exierant, ſubitus cum ſtridor perculit aures;
Qualis et in ſylvis glaciali frigore quondam
Auditur, concretus ubi et jam lacteus humor
Extendi quærens, omnes uno ordine fibras
Diſrumpit. Volvunt oculos, crepituque tuentur
Ingenti truncum ab ſummis radicibus æquas
Inque duas partes diſciſſum; protinus inque
Terram prolapſum, viridem amiſiſſe vigorem
Frondentis ſylvæ. Nova res oblata timores
Diſpulit Heſperiis omnes: ſperare ſalutem
Auſi tunc primum certam; cum ſceptra Gothorum
Tot fluctus inter bellorum ſtare putarent,
Stantia cæleſti confirmarique ſigillo.
  Inde ſuos lætus populos, et caſtra reviſens
Auctus honore novo Hiſpanis, mauriſque Pelajus;
Res gentis tenues, capiendaque commoda pacis
Ordine compoſuit juſto; ſic rite paratis
Alphonſo plenas rerum conceſſit habenas,
Ad naves properans; Littus portumque requirit
Salovii, brevis unde magis via finditur undis
Heſperio quærenti orientia regna Damaſci;

Excipitur navi ingenti, quæ juſſa parari
Ignoto, magnoque Duci, regalia nautis
Stemmata in auratis oſtendit puppibus altis,
Verſicolorque vagis illudens faſcia ventis
Cornua velatarum ornaverat antennarum.
Hanc ſociis primus lectis conſcendit Iberus
Princeps, et mare velivolum, fluctusque tumorem
Proſpiciens poſuiſſe; jubet dare carbaſa ventis.
Provehitur portu, zephyrus fert lenis euntem,
Findentemque freti longa vada ſalsa carina.
Teque datis linquens lævam, Balearia, ventis,
Inſula dives avis, Romano et clara Metello,
Sardoas, Africasque inter perlabitur undas.
Haud procul e fluctu Trinacria cernitur æthna,
Et monumenta tenens Carthaginis alta Tunetum;
Melitæque ſinus radit; tum littus et oras,
Et diras syrtes procul execratur, acerbus
Quas Naſamon, gens dura, tenet, qui dicitur undis
Luctantes naves cernens, et syrtibus atris
Navifragis, vacuus propriis accurrere cymbis
In ſpeciem tendentis opem; re triſte requirens
Naufragium miſerùm; namque hæc diſpendia credens
Eſſe ſuas crudelis opes; hæc quærit, et ardet.
Inde datum molitus iter, centum urbibus olim
Proſpicit inſignem, fallaci et Numine Cretam.

Effugit et dexter crebris freta conſita terris.
Inque Paraetonii curſum ſeptem oſtia Nili
Intendens, propius ſperat Sidona venire,
Unde brevi, facilique via munita petuntur
Mænia, multiplici circundata turre, Damaſci.
Dicitur Omnipotens rubra, atque ex ubere gleba
Divitis hujus agri primum formaſſe parentem
Humani generis, verbo cæleſtia poſtquam
Corpora de nihilo ſapiens eduxerat, aſtra,
Lucentemque globum Lunæ, Solemque rubentem
Ignoti aſſiduis flammæ fornacibus ignis
Iuſſerat immoto volvi ſub fornice gyro.
His terris urbem fama eſt poſuiſſe miniſtrum (c)
Thariadi charum ante alios, cui Regia parent
Armenta, et lati cuſtodia credita campi,
Magnum Eliezerum, Nachoris grandia poſtquam
Tecta adiit, dominoque nurum, ſponſamque Isaaco
Egregiam juveni duxit virtute Rebeccam.
Ante ſemel plenum quam Cinthia conderet orbem
Littore ab hiſpano, Syriam pervenit, et urbe

(c) *Abrahamo ſcilicet filio Thare. Hanc fuiſſe legimus circa urbis conditorem Doctoris Maximi Hieronymi ſententiam.*

Principe regali luxu, feſtoque Pelajus
Exceptus plauſu, proceris comitantibus ibat
Uliti in magni vaſtiſſima tecta. Superbis
Porticibus Princeps venientem excepit Iberum,
Audivitque bonus dicentem fædera pacis;
Et regni leges, ducibus quas rite ſupremis,
Res quibus Heſperidum parent, firmarat, et orat
Has habeat ſtabiles, et ſummo fædera juſtus
Roboret imperio longum manſura per ævum.
  Hæc inter fixos oculos, animumque Pelaji
In vultu intentum Princeps Ulitus habebat
Admirans frontem placidam, mentisque vigorem
Infractum, morum probitas quem ſola, decora
Nobilitasque ſolet generoſæ inducere menti.
Tandem lætus ait. Qui te, fortiſſime Iberúm
Excipio, agnoſcoque libens; ut verba recordor
Et vultus magni Favilæ, quem regna Maroci
Inviſens adii. Genitor tunc oppida centum
Barbariæ Heſperiis ſceptris ſubjecta regebat,
Imperiique thronum Septæ firmarat in urbe.
Eximium virtute virum, faucesque tumentes
Viſendi ſtudio, noſtras quibus alluit oras
Oceanus findens afras ab littore terras
Europæ; Favilæ gaudens in mænia veni;
Agnovique virum, tectis gratiſſimus hoſpes,

Nomine majorem; quamvis fama inclita cælo
Æquaſſet meritum. Nec ſum digreſſus ab illo
Quin mihi dona prius dederit Cantabrica quotquot
Dureſcunt chalybis limphis, fluvioque rigenti
Tela; Placentinos gladios, geminosque jugales
Aſturcos, curſu doctos prævertere ventos.
Nec lacrymis caruere genæ, cum nuntius oris
Attulit his noſtris, crudeli funere functum
Egregium virtute ducem, cui gloria, ſanguis
Regius, et crimen fuerat meruiſſe coronam.
Tempore jam ex illo nomen, ſceptrumque Vitizæ
Indignum viſum mihi; ſors et ſiqua tuliſſet,
Promiſſi ulturum, crudeli ab ſanguine pænas
Sumpturum, triſtem ſortem miſeratus amici.
Ergo quam quæris juncta eſt tibi fædere dextra;
Et te certa manent quotquot ſunt oppida, noſtras
Quæ nondum leges, nondum ſenſere Maconis
Imperium. Magnos animos vel in hoſte vereri
Edocti, robur ſceptris præferre ſolemus;
Et virtutem etiam, noſtris contraria rebus
Quæ pugnans, noſtros produxerit usque triumphos.
Hæc vel in hoſte. Tibi vero, tibi magna parantur
Munera, quæ populis noſtri ſint pignus amoris.

Hæc fatus. Tum dona viro jubet ordine ferri; (d)
Sceptri inſigne decus, multoque adamante coronam
Intextam, miſeri Ruderici ab clade receptas
Triſtes exuvias, ripis ad fluminis Ettis (e)
Inventas nuper ductor quas Muza Damaſcum (f)
Mi-

(*d*) *Summis Damaſci honoribus exceptum Pelajum fuiſſe teſtantur ſcriptores; cum et Mahumedani vehementer admirarentur Principem, qui parva popularium ſuorum manu de maximis hoſtium copiis toties triumpharat, et Chriſtiani, qui plurimi eandem urbem incolebant, ſummo ſtudio Virum exciperent, qui res Chriſtianas tanto animi robore, tantaque felicitate ſuſtinebat. Ab ipſo etiam Ulito magnis honoribus habitum eum fuiſſe, et donis cumulatum uberrimis memoriæ proditum ſcriptores illi reliquerunt.*

(*e*) *Hic ſcilicet inventum equum Oreliam poſt Ruderici cladem, et regia inſignia ex hiſtoria novimus. Regis fatum omnino incertum, nec enim audiendæ ſunt quorundam fabulæ ad vulgi admirationem captandam potius, quam ad veritatem hiſtoricam elucidandam inventæ.*

(*f*) *Ex veroſimili hæc ponuntur, cum dona plura, et locupletiſſima memorentur, eorum vero naturam nemo ſingulatim deſcripſerit.*

Mìſerat: his, inquit, regno tu dignior omni
Utere jure tuo; ſint hæc inſignia regni.
Purpureas addit veſtes, et murice primo
Intinctas; aulæa dein, quibus aurea Serum
Fila acus intexens, et verſicoloribus arte
Velleribus poſitis, bello res ordine geſtas
Pinxerat, et veterum felicia facta parentum.
Hoc Heros magni regis cumulatus honore
Inſtructusque novo perfectæ pignore pacis,
Mænia linquebat gaudens, et tecta Damaſci.
Sed non ante maris portum, et Sidona venire
Conſtituit, quam ſacra ſuplex monumenta ſalutis (g)
Omnia luſtraret, Solymis quæ multa reliquit
Humani generis Chriſtus Reparator Jeſus.
Nec loca luſtrabat, lacrymis quin ora rigaret
Dulcibus internus cordis dolor excitus ingens.
Oſcula figebat ſaxis, figebat et almæ
Telluri, manifeſta pedum quæ ſigna ſacrorum
Suſcepit toties, toties tepefacta cruore
Divino: recolensque animo quæ Golgotha vidit
Ver-

(g) *Altum ſcriptoribus etiam noſtratibus de hoc Pelaji itinere ſilentium; ponimus autem nos ob eximiam Principis religionem, ac pietatem ſingularem.*

Vertice in excelso patientem tormina Jeſum,
Hærebat, mentemque pius, pia corda per æſtus
Ducebat, quos dius amor conjecit, et auget.
Poſtquam oculos, mentemque piam per ſingula duxit,
Accenditque animum pietatis ſenſibus, ægre
Digreditur, crebro gradiens et lumina torquet
In loca, quæ ſtudium rapiunt, raptumque relaxant:
Inde petit portum, ſocios, navemque reviſit.
Poſtquam cuncta videt cælo conſtare ſereno
Indicitque viam, et primis ſurgentibus euris
Tenſa jubet nautis dextro dare carbaſa vento.
Provehitur portu, Syriæ et ſacra littora linquens;
Excelsos Solymæ montes dum ſpectat ab alta
Intentus puppi; rurſus ſua regna ſupremi
Numinis arbitrio, ſacris committit et aris.
Jamque dies gens læta novem felicibus euris
Ægipti, Libicique maris vaſta æquora, ponti
Jonii longa ſulcaverat abiete fluctus;
Trinacria cum Pluto caput forte extulit æthna
Flammarum globulos inter, trepidumque tumultum
Montis, et egreſſus cæcis, ſtygiisque cavernis
Exeſo flammis turgens in pumice ſedit.
Hinc torvos oculos tot vaſta per æquora volvens,
Adventare videt, fluctusque ſecare Sicanos
Ingentem navim, plenis quæ concita velis

Littus in Heſperium proram direxit aduncam;
Agnoſcensque ferox ſignum, bis, terque momordit
Ore manus ambas, et frendens dentibus, inquit.
  Ergo tot incaſſum ſuſceptos, Pluto, labores
Experiar? fractas vires, mea et irrita cernam
Conſilia? Heſperiæque (nefas?) inviſa manebunt
Regna? Piis ſtabunt promiſſa nepotibus ante
Fata? Nihil terras omnes vertiſſe juvabit
Armis Maurorum junctis civilibus armis?
Proſtraviſſe Sacras aras, et templa nefandis
Criminibus violaſſe? piis et moribus omnem
Luxuriem ſubiiſſe, probris quæque inde ſequuntur?
Vincar? et inviſæ gentis nova ſurgere regna
Aſpiciam, ſolumque caput, ſolumque Pelajum
Conatus fruſtraſſe meos, et ludere votis?
Haud ita. Jam dudum terras, nunc omnia volvam
Arma maris contra, tempeſtatesque ciebo.
His reparatorem Heſperiæ ſub fluctibus abdam;
Si nequeo; ſuperum vel ſi contra invida virtus
Id prohibet, firmata ſcio, quì fædera rumpam:
Extremique feram populis nova ſemina belli.
Dixerat, et citius ſtygiis excivit ab antris
Horribiles viſu formas, immania monſtra,
Cura quibus cunctas imo res vertere fundo.
  Senſit ſe captum mediis in fluctibus heros,

Adſpexitque cito raptum cælumque, diemque
Ex oculis, cæcas ponto incubuiſſe tenebras.
Quatuor adverſo concurrunt agmine venti
In navim, fluctusque atros ad ſidera tollunt,
Ingentes fluctus, ſummo qui a vertice ad imum
Sæpe dehiſcentes oculis immenſa barathra
Objiciunt, navemque viris haurire minantur.
Nil remi, nil vela juvant; laxare rudentes,
Colligere aut laxos; clavus ſupereminet undas.
Huc, illuc trepidant nautæ, mortemque minantem
Poſſe negant ullis vitari viribus artis.
Ipſe gubernator ventis, undisque relinquit,
Quam minime ſperat ſalvare ab turbine, navim.
Hos motus animo cernens ac mente Pelajus
Infractus, cauſas penitus cognovit, et artes
Quæ excierant nimbos tantos, ſusque omnia, deque
Vertebant. Ergo ſimulacrum Virginis effert,
Illius, quæ ſtella maris, quæ rebus in arctis
Perfugium; miſeris quæ nunc mortalibus omnem
Præſtat opem, ſtygiasque metu, ſegnique cohortes
Correptas terrore nigras detrudit ad umbras.
Ac vix effigiem malo ſuſpenderat alto,
Vota, precesque pio Matri de pectore fundens;
Cum venti poſuere, omnisque repente reſedit
Undarum, pontique tumor: flat ſolus et Eurus

A puppi ſurgens, liquidumque per aera nimbos
Diſperdens, nautis ſolemque, diemque reduxit.
Servati ex undis nautæ, et diſcrimine functi,
Effugiunt Cyrni ſcopulos, syrtesque latentes;
Inſula quæ Bacchi donis pretioſa, Minervæ
Munere felici gaudet fragrantis olivæ.
Huic regni formam fertur, nomenque dediſſe
Æquore in Ethruſco quondam ſatus Hercule magno
Vir magnus Cyrnus; ſervavit et Inſula nomen
Egregium, donec Ligurum de finibus agmen
Pugnantum duxit, terris et miſit apricis
Fæmina, dux facti, quæ sylvis excita magnum
Et ſuſcepit opus, terrasque, urbesque ſubegit.
Inde vetus Cyrni poſuit capta Inſula nomen;
Sylveſtri ab Corſa poſthac et Corſica dicta eſt.
Nec propius vada dura legunt, portusque, ſinusque
Inſula quos nautis offert Sardinia, primos
Quæ hiſpano ab regno cæpit, Libiæque colonos;
Quæque beata ſolo (duro ſed ſubdita cælo)
Vipereum genus omne, Lupos, colubrosque nocentes
Neſcit, et exiguam ſolum formidat arachnem
(Solifugam dixere patres, quia lumina fugit)
Quæ ſenſim reptans; fundit non viſa venenum.
Hæc ſecum nautæ longis ſermonibus. Aſpros
Aſt Princeps Cyrni montes, et ſaxa Pelajus

Longe proſpiciens Sardoica; mente revolvit
Sacra Patrum monumenta ſequens, his exul ut oris
Conſtitit illuſtris ſacrorum turba Miniſtrùm,
Candida queis fulgens ornabat tempora mitra;
Quosque furor, rabies, et inexſaturabile pectus
Gentis Arianæ templis detraxerat afris,
Rege ſub Hunnerico, grex ut, paſtoribus actis,
Erroris citius ſcabie marcesceret omnis.
Et loca ſancta procul ſuplex veneratur, et orat
Abſit ut ab populis error, quem dogmata damnant
Demiſſæ e cœlo fidei, quem fulmine fixit
Qui ſummo imperio Romanæ præſidet arci.
Æquora navifragi finduntur gallica ponti
Interea; nautæque *ſinum* dixere *Leonis*
Marmoris ingentem tractum, qui fervet aquarum
Æſtu continuo, levibusque efflantibus auſtris,
Ingentes tollit fluctus, et concipit iras.
Jam procul apparent nimboſi celsa Pirennis
Culmina, et hiſpanæ raduntur littora terræ.
Agnoſcit longe montes, terrasque jacentes
Princeps, et magnum premit imo corde dolorem,
Infauſtum gentis memorans fatumque, jugumque.
Mox ad Salovii portum convertere proram
Imperat, et notis properat ſuccedere terris,
Vela legunt nautæ, juſſi et conſidere tranſtris

Remigio navim portus ſtatione reponunt.
Diditur inde citus vicina per oppida rumor,
Qui mox Heſperias plures penetravit in urbes,
Urbe Damaſcena magnum veniſſe Pelajum,
Regia qui referat ſupremo ab Principe regni (h)
Ornamenta, decus capitis, ſceptrumque; Gothorum
Su-

(*h*) *Regem appellari Pelajum moleſtiſſime videtur ferre Voltairius; neſcio enim, inquit, quo pacto dari Regis nomen potuerit iſti Gotho, cujus dignitas tota in eo erat poſita, ut ſervus non eſſet ſcilicet. Qui fieri poterat, ut Mahumedani regnum iſtud Aſturiarum conſiſtere trans Pireneos paterentur, cum ab an. 734. dimidiam prope Galliam ſub juga miſiſſent, cet. Si Pelajus neque Religioſus fuiſſet, neque pius; vel ſi Voltairio viſus fuiſſet dignus, qui in pſeudo-philoſophorum hujus ætatis numerum adſcriberetur; non rex modo ab eo, ſed heros vel inter primos recenſendus haberetur. At vir utcumque Maximus, cui Religionis res præ cæteris omnibus erant cordi, nullam ab irreligioſo ſcriptore gratiam, nullam etiam juſtitiam polliceri ſibi poterat, quam neque Conſtantinus M. neque Theodoſius, neque quisquam alius paris Religionis, ac pietatis obtinuerunt. Cæterum cui fides habenda ſit potius, ſcriptoribus id adſerentibus, an Vol-*

Suſtineat qui pace data, nutantia regna:
Undique viſendi ſtudio matresque, virique
Accurrunt; juvenes, pueri, innuptæque puellæ.
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt: quocumque petivit,
Qua greſſum extulerit, compleri compita cernit
Agminibus populi. Maurus permixtus Ibero
Conſpicit, atque ducem miratur, ſolus ovantes
Robore qui invicto pugnans compeſcuit hoſtes;
Abſtulit et Mauris laudem victoribus omnis
Edomitæ Heſperiæ: ſceptrum, regnumque paternum
Unus ab æterno ſervavit funere victor.
  Laudibus his populi comitatus regia demum
Tecta, novas regni Princeps ſedesque Pelajus
Exiguas, inopesque ſubit, quas parva prioris
Munera fortunæ cernit. Sed ſemina noſcit
Imperii, variis quondam quod gentibus ortu
Solis ad occaſum diſtentis quinque ſub axis
Syderei zonis, leges et jura daturum.

---

tairio dubitanti; res eſt quæ cuique patet non cæcutienti. Cur vero paſſi ſint Arabes conſiſtere Regnum Aſturiarum, ſatis aperte quisquam intelliget, qui res temporum illorum attente legerit.

FINIS LIBRI QUINTI.

LIBER SEXTUS

ARGUMENTUM.

Cauſa reſurgentis belli ſit fæmina rapta:
Rurſus et Afrorum vires in ſceptra Pelaji
Armantur, Pleno ſternuntur marte Maconis
Agmina. Delectis Sociis ſtipatus in antrum
Confugit: hic addit vires animosque Pelajo
Adveniens divina Parens, monſtratque nepotum
Ingentem ſeriem, pulſi quos gloria mauri
Magna manet, certi pignus jungitque triumphi

ASturios montes, atque oppida celſa Pelajus
Jam dudum placida compoſtus pace regebat:
Imperiumque ſuum Maurus tendebat ab oris
Occidui ponti nimboſos usque Pirennes;
Iurgia cum Pluto, belli cauſasque recentes
Excivit, reſidesque animos, populosque quietos
Rurſus in arma ferox, rurſusque in bella coegit,
Quæ primus fugiſſet atrox, ſi fata, ſupremum et
Noviſſet finem venturi conſcius ævi.
Nam quæ cauſa Gothis ſceptrum, regnique coronam

Abſtulit, hæc eadem Mauros ſpoliavit adeptis
Heſperiæ regnis, et crebra clade ſubegit.
Dulcis erat, forma et præſtans Germana Pelajo
Florentina, pio fratri chariſſima Virgo. (a)
Nam primis orbam luſtris utroque parente
Ipſe loco natæ ſtudio, curaque paterna
Nutrierat. Fratris ſtudium, curasque puella,
Spes omnes longe ſuperans, virtutibus altam
Omnibus ornarat mentem, quæ corpore pulchro
Pulchrior eximium fratris rapiebat amorem.
Viderat hanc (fratrem cum crebro inviſeret) urbis
Vicinæ rector, ſed qui ditione premebat
Gallæcos populos plures, et caſtra, Munuza
Chriſtiades, animo ſed et ortu ignobilis, et qui
Arma Arabum ſortemque ſequens, et durius hoſte
Relligionis habens Socios, illuſtre tenebat
Officium, noſtros crudeli et jure regebat.
Viderat, et forma captus properabat amore
Ardenti juvenem ſociali fædere ſecum
Iungere connubii: proprii ſed conſcius ortus,
Conſcius et generis ſponſæ, quam regius ornat
San-

(*a*) *Florentinam dicimus, quam ſine nomine dant exteri, et noſtrates etiam, quos videre licuit.*

Sanguis, quæ quærit præceps, ea poſcere fratrem
Horreſcit pavidus, juſtæ ceitusque repulsæ.
Acrius ardet amans, magni quo finis amoris
Longior objicitur, ſunt et magis ardua vota.
Inſanit, vi poſſe putat quod quærit, et aſtu
Nanciſci; precibus quoniam via nulla pateſcit.
Quod putat id ſtatuit demens. Procul urbe Pelajus
In terras aberat, plena ditione Tariſus
Quas ductor bello captas terrore regebat.
Hoc tempus tutum, juſta hæc occaſio fraudi,
Virginis et furto meditato viſa Munuzæ.
Ergo actus furiis, inſano et cæcus amore
Multa malus ſimulans in regia tecta Pelaji
Irrumpit, caſtam fraterna ab fide Puellam
Abducit, timidam ab nidis ut prædo columbam
Accipiter; raptam vetita ad connubia cogit.
Exarſere ignes animo, mentique Pelaji;
Sed prudens recto conceptum corde dolorem
Diſſimulat, parcens verbis, et nutibus, hoſti
Prodere qui poſſint, optat quas ſumere pænas.
Ac primum tanto violatum crimine fædus,
Reciſſumque putat; nulla ſe lege teneri
Ad pacem, ſcelere immani quam perfidus hoſtis
Ruperat. Inde animos populi, menteſque ſuorum
Explorat cautus. Nam quæ ſententia victis

Gentibus inſideat; cupiant quam jura Maconis
Excutere, et fædo imperio ſubducere collum,
Cognovit, quando Heſperiæ tot regna pererrans
Et vidit ſtrages, audivit et impia facta.
Arma parent tacitus montanis, arma propinquis
Indicit populis: Longinquos admonet omnes,
Se duce qui vitam pro libertate paciſci,
Et ſacra cupiant pro Relligione parentum,
Adveniant, pugnæque locum, tempusque requirant.
Ipſe modum dudum meditatus, ab hoſte ſororem
Liberat interea, longinqua et ſede reponit:
Hoc certus belli ſignum, cauſamque futurum.
Nec ſtrenuum ſpes certa ducem, vel cura fefellit.
Namque furens animis, ſtimulis et percitus iræ
Prædo Munuza (velut furiis accenſa Leæna
Cui dulces rapti catuli, rugitibus implet
Horrendis ſaltus Getulos, martia vires
Advocat ingentes, et quas novus excitat ignis
Raptores contra) clamoribus omnia complet,
Accenditque animos populorum. Caſtra parari
Imperat, et totis inquirere viribus hoſtem.
Hos motus animo præſenſerat ante Pelajus;
Subjectique ſibi populi delegerat omni
Ex numero fortes, præſtanti et corpore ſolos
Mille viros, ſecum qui prælia prima ſubirent,

Innumerasque acies Maurorum vivida virtus
Quid poſſit, patriæ pietas, mens ſana docerent.
Cætera pugnantum montes, atque oppida turba,
Si contra irruerent hoſtes, eſt juſſa tueri.
Ipſe ſuis ſeptus venientibus obvius ibat
Hoſtibus impavidus; turmas nactusque Munuzæ
Ampla per herboſi gradientes æquora campi,
Irruit in primos, et primos proterit; inde
Ordinibus ruptis, ſolito terrore, ſubortus
Incertus, cæcusque metus: dum prælia tentant
Ferre alii; credunt alii circum undique cingi
Innumeris turmis, acer quas terror adauget.
Vertit terga fugæ longe pars maxima: clades
Ingruit idcirco major. Jam ſanguis inundat
Campos, et cædis miſeræ cernuntur acervi.
Depopulantur agri, vicina atque oppida: præda
Ingenti locuples exercitus omnis, et hoſte
Deleto, victor rurſus montana petivit.
His incredibilis noſtrorum mentibus ardor
Acceſſit; ſpes magna novas in prælia vires
Sufficit, et duci poſcunt inſtanter in hoſtes.
At Princeps doctus belli, et ſibi conſcius arma
Quanta parat contra, validas quantasque cohortes
Mittat adhuc, Alcamano ductore, Tarifus;
Arte nova vires hoſtiles frangere, regnum

Aggreditur rurſus turba ab veniente tueri.
  Solis inacceſſum radiis in montibus antrum (b)
Auſenæ sylveſtre fuit, latiſſima ſedes
Armentis, ovium gregibus, pecorisque magiſtris
Devcalionæis quoties nimboſus orion
Imbribus erupit; duri vel grandinis imber
Deſævit crebro ſonitu, vel fulmine crebro;
Vel quoties glacialis hyems circum omnia denſis
Nivibus obduxit. Seſe fortiſſimus Heros
Mille ſuis ſociis ad fortia quæque paratis
Hoc antro incluſit: quando hæc via ſola pateſcit
Hoſtibus, in montes venturis agmine facto.
  Nox erat, æthereo gratumque ſub axe ſilenti
Omnia carpebant animalia feſſa ſoporem;
Cum Princeps preſſus curis ſua membra quieti
Compoſuit feræ tandem, cæpitque jacentem
Serpens dulce ſopor, requies placidiſſima laſſis.
Nec dum prima quies medio jam noctis abactæ
Curriculo expulerat ſomnum; cum viſa jacenti
Ante oculos Divina Parens conſiſtere, fulvas
Lumine cincta comas multo, quam pulchra videri

Cæ-

(b) *Huic antro jam tum nomen fuiſſe videtur Covadonga.*

Cælicolis, et quanta ſolet, roſeoque ſilentem
Ore loquens tales effundere pectore voces.
Macte animis, et macte nova virtute, Pelaji,
Neu motus horreſce novos, pugnæve futuræ
Commoveare minis. Sceptri tibi credita cura
Heſperiæ, non nutu Uliti, aut fædere pacis
Jam pactæ: cernis quam ſint infirma, quousque
Sceptra tibi, et regnum firmarint; firma manebunt
Me duce, quæ multis te legi ex millibus vnum
Qui res Heſperiæ collapſas rurſus in altum
Attollas, regnum ſerves, regnique coronam
Victor ab interitu. Series longiſſima regum
Ad te ducta, tuos ab te præclara nepotes
Accipiet, ſoliumque vetus per ſæcla tenebit
Plurima: ſic ſtatuit ſuperi Regnator Olimpi,
Atque immota manent: animo timor omnis abeſto,
Et menti dubium. Quod ſi te cura remordet
Exiguas regni vires, contraque videntem
Maurorum innumeras turbas; tibi fata tuorum
Expediam dictis, oculiſque fidelibus omnem
Subjiciam ſeriem, vultus, atque ora nepotum,
Maxima quos maneat depulſi gloria Mauri
Heſperiæ regnis. Hæc dicens viſa jacenti
Eripere ex oculis nubem, quæ turbida viſus
Mortales hebetat, denſa et caligine volvit

Plurima, quæ tandem cæli ventura ſub auras.
Obſtupuit primo adſpectu, turbatus et hæſit
Magnanimus Princeps, avidos oculosque tenebat
Magnorum in longo difixos ordine Regum.
Tunc Virgo ſic orſa loqui. Qui primus in armis
Oſtentat ſeſe, dextræ et conſtanter inhæret
Intemerata fides, vultum, frontemque ſerenam
Alphonſi noſcis generi. Tibi funere rapto (c)
Proximus hic, parvo ſed proximus intervallo
Succedet; conjux illum Hermeſinda vocabit
In ſolium. Plenas rerum vix nactus habenas
Belliger armatas acies in prælia ducet,

Et

(c) *Namque Pelajo ſucceſſit filius ejus Favila, cujus regnum paucorum ſupra annum menſium fuit. Dictus eſt autem* Catholicus *Alphonſus ob ardentiſſimum reſtituendæ religionis, ſacrarumque rerum ſtudium; cum, ejectis Mauris, primæ ejus curæ eſſent ſuperſtitionis Mahumedicæ veſtigia delere, ſacris ædibus ornatum, nitoremque inſtaurare. Itaque refixis legibus, quæ morum relaxationi favere poſſent; erexit templa proſtrata, purgavit alia violata, dedit eisdem miniſtros, quos quæſivit abſolutiſſimos: atque ab eo rege amplificatum eſt mirifice regnum, captisque hoſtium ſpoliis locupletatum.*

Et crebris fractos pugnis concedere Mauros
Coget ab Aſturiis, Gallæcis finibus, oris
Vaſconum; Caſtellæ urbes, atque Oppida Luſa
Plurima diripiet, ſpoliisque ornatus opimis
In ſua victrices acies, et divite præda
Sæpius excepta gaudentes regna reducet:
Alphonſum qui pone venit, qui condet Ovetum,
Extructæque urbis regnum de nomine dicet,
Huic Froilæ nomen Primi, quem viribus audax (d)
Aben-Gioſephus, multo quoque milite fidens
In patrio regno quæret, quæſiſſe dolebit,
Cum campos ſtratos cernet, montesque ſuorum
Quinquaginta ſuper cæſorum millibus. Enſem
Non

(d) *Froila, ſeu Fruela I. ad officium coegit civitates, quæ in regno Navarræ, atque Gallæciæ jugum excutere tentarant; et ab Mauris ducibus Abderramo, et Aben-Gioſepho ingenti comparato exercitu bis aggreſſus, bis de iisdem triumphavit. Ex clade maxima Aben-Gioſepho illata accidit percommodum noſtratibus, ut Mauri in factiones ſcinderentur, diviſi minus fierent in bellis potentes, et viribus ſuis inter ſe pugnarent. Diviſionem ſubſecuta eſt rebellio, qua Abderramus vir, et animi robore inſtructus, et bellicæ diſciplinæ peritiſſimus ſuum ſibi*

Non Abderamus leviorem ſentiet; illi
Eripiet Froilæ gladius magna Oppida, terras
Fluminis inter aquas Minii, Duriique jacentes,
Ereptas regnis victor ſuperaddet avitis.
At Princeps juxta cernens uti ſpectra virorum
Quatuor, obſcurus cingit quos undique nimbus,
Et caput obvolvit fuſca caligine velum:
Mater, ait, quæ larvæ oculis, que triſtis imago
Objicitur ſpectris illis: noſtroſne nepotes
Adſurgent inter, regumque in ſede quieſcent
Terribiles viſu hæ formæ? Ne quære tuarum
Exitium rerum, Princeps, certamque ruinam,
Ni Pater Omnipotens ſceptrum firmaſſet, et illud
Stare, et in immenſum ſanxiſſet creſcere regnum.
Aurelius, Silo, Mauregatus, Veremundus
(Hæc tunc nomina erunt, nunc ſunt ſine nomine larvæ)
Qua-

ſibi regnum Cordubæ ſtatuit. At idem cum Aſturienſibus regibus in Gallæcia bellum intuliſſet; ab Froila victus, pulsusque, in regnum ſe recepit ſuum. Cæterum Froila fælix regnaſſet, ſi, ut recte uti noverat regiis illis dotibus, quæ regem externis hoſtibus formidabilem reddunt, ita amari ab ſuis ſtuduiſſet.

Quatuor hi, puero contempto Principe ſceptri (e)
Hærede, invadent regnum, populosque fideles,
Hactenus unanimes, ſtudia in contraria ſcindent.
Hi vires acuent Maurorum, hi bella ciebunt
In patriam duri hoſtes, exitiumque ſuorum.
Quin etiam, regni raptas ut ſervet habenas,
Infa-

(e) *Alphonſo ſcilicet Froilæ filio, cui ſoli hæreditario jure ſceptrum paternum debebatur: ejus tamen ætate infantili quatuor illi uſurpatores abuſi, alienum ſibi regnum vendicarunt: Aurelius primum qui Froilæ (non fratris, ſed conſobrini ſui) ſanguine ſe turpaverat; nec ſperandum erat, ut qui inſana regnandi cupiditate captus conſobrino vitam eripuerat, idem infantulo regnum relinqueret. Aurelio ſucceſſit Silo ejus cognatus, in eo ſimilis Aurelio, quod uterque regendi imperii eſſet ex æquo incapax. Silone extincto, ut Regnum contra Alphonſum capeſſeret Mauregatus, Abderrami auxilium imploravit, obtinuitque pacto infami centum puellarum tributo. Regno tantis ſceleribus adepto potitus eſt biennio dumtaxat, eique demortuo ſucceſſit Veremundus ex regio quidem ſanguine Reccaredi, ſed et Alphonſo injurius, quamvis ipſe non regnum quæſierit, ſed acceperit oblatum; et ſibi etiam, cum ſacros ordines jam antea ſuſcepiſſet, unde ei*

Infamis Mauregatus turpiſſima Mauris
Pendere conſtituet jurando jure tributa,
Caſta puellarum (miſerum!) centena quotannis
Corpora, ſive Lupis totidem raptoribus agnas.
In patrium tandem regni ſceptrumque, thronumque
Poſt triſtes rerum caſus fortiſſimus Heros (f)
Al-

---

ei Diaconi *cognomentum. Utramque injuriam reparare ipſe ſponte ſua ſuſcepit ; nam ſe imparem regimini agnoſcens temporibus adeo difficilibus, Alphonſo primum ſceptri partem, integrum deinde reſtituit, ſibique privatam vitam indixit, maximo hiſpanienſium rerum commodo, quæ ſub uſurpatoribus iſtis in diſcrimen ſummum adductæ fuerant.*

(f) Heros Alphonſus, et inter maximos recenſendus, triginta annos natus regnum ſuſcepit, quod infans inire debuiſſet. Caſtus *eſt cognominatus, et quod continentiam in Matrimonii libertate ſervaverit, et alienam pudicitiam tutatus fuerit regni ſui amittendi, vitæque diſcrimine deſpecto. Populorum amorem ſibi jam dudum privatus conciliarat regiis omnibus virtutibus, quibus abunde inſtruebatur. Emicuerunt hæ omnes ſplendidius ubi regni adminiſtrationem ſuſcepit. Vir* Religioſiſſimus *probe ſciens in quo præcipue reges ſpes collocare ſuas deberent,*

Alphonſus veniet, Caſti quem nomine dicent
Laude pudicitiæ celebrem per ſæcla nepotes.
Aſpice multiplici cinguntur ut inclita lauro
Tem-

---

berent, divina protectione nixus, quam certo ſibi ſperabat adfuturam; infame Mauris tributum abnegavit, bello ſe accinxit venturo cito; irrumpentibus maximis hoſtium copiis obviam profectus militum numero admodum minore, ſecundo eos marte adeo ſuperavit, ut ſeptuaginta eorum millia interfecerit, exigua militum ſuorum jactura. Qua relata victoria tanto Mauros terrore affecit, ut hi extra vallum proſilire longo tempore non fuerint auſi. Cumque aliquot poſt annos robuſtiores hoſtes effecti in Gallæciam irrupiſſent; profectus eſt adverſus eos Alphonſus, et nactus eorum exercitum apud Lucum Auguſti (noſtrates Lugo dicunt) regni illius urbem vetuſtiſſimam, commiſſo prælio quinquaginta millia occidione occidit. Inde Uliſiponem usque penetravit potitus urbibus omnibus, quæ dextra, lævaque occurrebant. Ereptis Maurorum jugo tot urbibus, erexit (noſtra quidem ſententia, cum alii Alphonſo Catholico *id adſcribant) Caſtellæ Comitatus, ut ab novis Comitibus populi illi adverſus irrumpentes Arabes citius tuerentur, ac firmius. Religionis res ſummo ſtudio curavit, amplificavitque,*

Tempora: quantus ineſt fronti decor? integra qualis
Majeſtas vultum decorat? quis dignior amplo
Sceptro, vel ſceptri melius quis jura tenebit?
Ille requirentes turpiſſima pacta tributa
Rejiciet Mauros indignans; inter et arcta
Oſtia, quæ pandunt celſæ juga ſaxea Ledis
Nactus eorundem turmas, atque agmina plura
Per campos decies ſternet ſeptena virorum
Millia: victrices acies, et ſigna deinde
Relliquias contra ducens, penetrabit in oras
Extremas, undasque Tagi, pugnisque triumphos
Æquabit victor ſemper: juxtaque Lucronem
Mauros inſectans rurſus nova bella moventes;
Quinquaginta nova proſternet millia clade;
Fortunamque ſequens, ad muros urbis Uliſſei
Perveniet, capiens dextra, lævaque quot urbes,
Et quot caſtra ferox hoſtilia victor adibit.
Ipſe novas gentes, atque Oppida capta Maconi,
Tutius ut poſſint fædo defendier hoſte,
Im-

---

que; reſtituit artes, et ut omnes commode vitam ducerent adlaboravit, quantum ab ſolicito patre familias ſperare quisquam poſſet. Regnum adminiſtravit annos ſupra quinquaginta; rex fuit annis octoginta tribus.

Imperio alterius ſubmittet Principis, et hunc
Caſtellæ Comitem dicet. Proh quanta ſub iſtis
Principibus clades, et funera quanta minantur
Infeſtis Arabum turbis! Et Bætis, et Anas,
Et Minius, Duriusque, Tagus creſcentibus undis
Sanguine Maurorum, quot fortia corpora volvent?
Hic Libiæ, Nomadumque, hic fuſci regna Maroci
Extinctos quoties populos, floremque juventæ
Lugebunt raptum? Quoties veniſſe pigebit
Littus in Heſperium, quod tanto ſanguine fuſum
Aſpicient? terras execrabuntur opimas,
Quas avidi tanto ſtudio petiere; repertas
Obduxere gravi toties et clade ſuorum
At ſenio tantum, longis confectus et annis
Alphonſus, regni curas, et ſceptra Ramiro (g)
Concedet, reliquos inter qui reſpice quantum
Adſurgat; quantis ornatus tempora ſertis
Oſtentet ſese. Regnum, vitamque paciſcet
Alterius pulchra pro virginitate tuenda.
Hujus et inſignes ſurgent de ſanguine reges,
Illuſtres reges, illum qui pone ſequuntur

Or-

(g) *De Ramiro I. alio loco, Deo auſpice, fuſe, et copioſe dicemus.*

Ordonii, Alphonſi, Froilæ, Sancique, Ramiri (h)(i)(k)(l)
Et

(*h*) *Ordonius I° Ramiri filius, ſub cujus regni exordio Arabes cum exiſtimaſſent poſſe facile delere maculam bello ſuperiore ſub* Ramiro *ad Alveldam ſuſceptam; ingentem exercitum compararunt, et contra noſtrates profecti ſunt. At eo ipſo in agro in quo ab* Ramiro *victi, trucidatique fuerant, ab* Ordonio *ſuperati fugæ dederunt ſeſe præcipites. Inde adverſus* Cordubenſem *victor* Ordonius *profectus eſt, quem ſciebat præ ceteris eſſe ſuperbum, formidandumque.*

(*i*) *Alphonſus filius* Ordonii *Tertius dictus, et cognomento* Magnus, *quindecim annos natus regni adminiſtrationem ſuſcepit heroicis virtutibus omnibus egregie ornatus. Diſplicet Voltairio, Alphonſum hunc vocari* Magnum, *cum regnum ejus, inquit, parvum fuerit. Oh bone! At, quid regni amplitudo ad illam Magnitudinem confert, qua fuiſſe magnus Alphonſus dicitur? Nonne poteſt parvus eſſe rex in ampliſſimo regno? Animi igitur, non terrarum magnitudo reges Magnos conſtituit. Quin et Alphonſi regnum non adeo arctis finibus circumſcribebatur, cum ab Cantabria Gallæciam usque protenderetur, partem non exiguam veteris, ac novæ Luſitaniæ, veterem etiam Caſtellam contineret. Ab rebus vero bello præclare geſtis*

Et gemini Veremundi, En toto ut vertice ſupra eſt

---

geſtis appellatus Magnus, ex quibus ſcilicet vera Regibus Magnitudo adſurgit. Quæ porro hæ ſunt! Vix pueritiam egreſſus, domeſticos motus compeſcuit, et Dynaſtas adverſus ſe inſurgentes ad officium coegit. Mauris Legionenſem urbem obſidentibus maximam cladem intulit, atque ad urbes usque eorum eſt perſecutus; in Cordubæ regnum penetravit; unde ſuos Arabum ſpoliis onuſtos domum reduxit: proſtravit Toletanos Mauros auxilio Cordubenſibus venientes apud obrigum amnem, duodecim eorum millibus interfectis; inde in Cordubenſem arma vertit, quem tanta clade confecit, ut ex magno exercitu ſoli decem milites ſuperſtites captivi ducti fuerint. Tertio bello contra Arabes ſuſcepto, tribus conſertis præliis, ter victor regni ſui terminos ad Tagum usque, accepta Conimbria, amplificavit Segoviam usque in Caſtella; neque excedere ex vivis voluit, quin poſtremos dies vaſtandis Maurorum Oppidis devoveret. Ex quibus incurſionibus cum in urbem milites ſuos victores, locupletesque reduxiſſet, fato functus eſt.

(K) *Ordonius* II. *Alphonſi filius acceptum ab patre regnum non conſervavit modo, ſed etiam amplificavit. Cæpit Talaveram, profligato, trucidatoque ingenti Arabum*

Fernandus reges alios: oſtentet in armis (m)

Se

---

exercitu: Penetravit in Bæticam ac Luſitaniam graviſſimo hoſtium damno: apud Durium amnem, interfectis pleno prælio duobus exercitus ductoribus clariſſimis, de Almanzore Cordubæ Rege triumphavit; eundemque regem armorum ſuorum gloriam poſt tot acceptas clades erigere conantem, ex Gallæcia ejecit, in quam irruperat, Naxeram urbem cæpit.

(l) Ramirus ſecundus miſſis ſubjugo domeſticæ quietis perturbatoribus, qui detrudere eum ab throno aggreſſi fuerant, arma adverſus Mauros convertit. Irrupit in ipſum Oppidum Matritenſe ferro flammisque omnia Maurorum devovens. Deinde Gonzalo Caſtellæ Comiti ab Mauris oppreſſo opem laturus venit cum exercitu, et inito prælio apud Uxamam (Oſmam noſtrates dicunt) tanta clade Arabes confecit, ut ii partim in prælio interfecti, partim in fuga trucidati, reliqui prope omnes captivi ducti fuerint, accepta immenſa præda. Subjecit ſe ei victori Cæſarauguſtanus Rex, qui paulo poſt, inito cum Almanzore Cordubę rege fædere, Victori Ramiro bellum indicere auſus eſt. Dum expectat Ramirus auxiliares copias morantes, videt fæderatos Arabes ſe contra progredi; ſuis itaque ſolis viribus fertur in hoſtes, etſi numero admo-

dum

Se qualem? quantis præcingat tempora lauris!
Belli-

---

dum ſuperiores, tam ardenti robore, ut primo impetu eorum Ordines turbarit, ſecundo diſperſerit, tertio tanta cæde trucidarit, ut qui Scriptores minorem interfectorum numerum litteris conſignarint, occiſa triginta millia, alii ſexaginta millia dixerint. De iisdem triumphavit iterum apud Salmanticam, et Toletanum regnum vexavit, ac depopulatus eſt, interfectis duodecim millibus, ductisque captivis millibus ſeptem. Pro quibus omnibus cum vota ſolviſſet ſua Divis Regni patronis, glorioſa morte functus eſt.

(*m*) *Ferdinandus* Magnus *dictus, quia omnia in eo Magna fuerunt, Religio, Pietas, Regia virtus, bellica diſciplina, et animi robur. In ipſo regni exordio in Gallæciæ regnum Arabes impetum fecerunt; adfuit Ferdinandus, et plurimis velitationibus (nam Mauri pleno marte pugnare detrectabant) ita eos profligavit, ut diſtracti exercitus reliquias trans Anam flumen usque perſecutus fuerit. Inde vicinas hoſtium regiones vaſtavit, et ad Tagum eripuit Mauris quotquot obtinebant Oppida ad Durium usque, excepta ſola Uliſipone. Cæpit Cæam, Goveam, Viſeum, Lamegum, Coimbriam cæt. Confæderatorum Cordubæ, et Toleti Regum exercitum uno impe-*

L 2 *tu*

Bellica Laus ingens illi, ſed major ab alma
Relligione tamen veniet: præclarus utraque
Dicetur *Magnus*, fuerit cum Magnus utraque.
Gallæcis Mauros ab finibus usque rubentem
Victor aget, ſternetque Tagum: Capta oppida quotquot
Nunc Arabi ſubſunt ripas ad fluminis Anæ
Fernandi ſceptro parebunt; Durius et quæ
Irrigat. Hic geminos Reges in fædus amicum
Se contra junctos uno certamine fundet,
Urbibus et raptis multis, ſibi ſceptra Toleti
Solvere Vectigal coget: compeſcet et omnes
Surgentes contra motus. Sed ſanguine miſto (n)
Inde alii veniunt: ſunt his inſigne *Leones*

Aſt

tu profligavit, et pluribus urbibus potitus, Toletum impoſito vectigali multavit. Cum rebellium Maurorum inteſtinos motus compeſcuiſſet novis relatis victoriis; ſanctiſſima morte functus eſt, ad quam proluſerat longa, conſtantique plurimarum virtutum exercitatione.

(*n*) *Cum ſcilicet Legionenſe Regnum cum Caſtellano conjunctum eſt: quo tempore ſi noſtratum vires una omnes contra Arabes concurriſſent, nec fuiſſent inteſtinis diſcordiis diſtractæ, brevi omnis Maurorum potentia in hiſce regnis concidiſſet.*

Aſt *Caſtella* aliis. Vos o concordibus armis
Atque animis Mauros contra victricia ferte
Signa, nec incertus remanebit ab hoſte triumphus.
Concordes, eritis invicto robore; diſcors (o)
Si vobis animus fuerit; diſcordia vires

(o) Quod modo animadvertimus manifeſtius numquam eſt oſtenſum, quam cum tres ſimul Alphonſi noſtratibus in Hiſpania imperabant; Aragonio-Navarræus ſcilicet; Caſtellano-Legionenſis, et qui tunc Luſitanus Comes, paulo poſt rex eſt ſalutatus. Horum exercitus dum inter ſe pugnant, res hiſpanienſes prope ad interitum impulerunt; in Mauros revoluti, hos plurimis urbibus, regionibusque expoliarunt. Namque Aragonius Murciæ, et Valentiæ regna victor peragravit de omnibus Arabum viribus pleno prælio triumphans, totque civitates cæpit, ut cum copias non haberet, quibus eæ munirentur, coactus fuerit arces plurium, et munimenta omnia proſternere. Inde profectus in Bæticam ab undecim confederatis regulis æterna memoria dignam victoriam reportavit; ex quorum regnis tantam prædam accepit, ut nec milites, nec jumenta illi tranſportandæ ſufficerent.

Interea Caſtellano-Legionenſis haud minori fortuna, et felicitate provincias Maurorum omnes Tagum inter, et

Tollet in immenſum Maurorum. Fortis uterque
Fortior ab nexu ſurget. Sed fædere rupto,
Hujus in alterius volvetur clade ruina.
  Huc geminas nunc flecte acies, hos aſpice reges,
Quos virtute pares eadem mens, fortis in hoſtes
Armabit patriæ pietas; quos Rector Olimpi
Una

Anam percurrebat, Cordubæ, et Hiſpalis regna expoliabat; arma usque ad montes Marianos Cordubam petens duxit deinde. Superato amne Bæti, in regnum Granatenſe penetravit, et prælio uſus ſecundo, Cordubam cæpit, Giennium, Biatiam, Almeriam.

Luſitanus eodem tempore vexabat aſſiduis pugnis Arabes, provinciis ſuis confines. Itaque quinque Reguli, qui in Auſtrali Luſitaniæ parte imperitabant, fædus inierunt adverſus communem hoſtem, collatisque ſignis contra Alphonſum proficiſcebantur. Haud paſſus eſt Luſitanus diu quæri ab tanto confæderatorum exercitu; obviam ei proceſſit, prælium commiſit, et cum primum impetum fortiter ſuſtinuiſſent Arabes; ceſſerunt ſecundo tanta trepidatione, ut ingenti clade protriti fuerint, amiſſis regiis quinque vexillis. Pleniſſimam victoriam conſecuta eſt deditio S. Irenæ, Sintræ, Uliſiponis, Elvæ, Eboræ, omniumque oppidorum in Luſitania munitorum.

Una ambos in regna pius felicia mittet
Heſperiæ. Auſpiciis quorum et felicibus armis
Hiſpani tandem turpis juga fæda Maconis
Excutient, Lunis et decreſcentibus actis,
Rurſus in excelſis templorum turribus alta
Chriſtiadum ſublata Crucis pia Teſſera ſurget.
Ille prior Fernandus erit, cognomine *Sanctus* (p)
Dicetur, nomenque dabit non dulce loquentum
Vana ſuperſtitio, mendax vel fama nepotum
Adſentatorum. Nullus pietate vel armis
Adſurget major. Poſtquam *Caſtella Leoni*
Addi-

(*p*) Sancti *cognomen ab populis Ferdinando inditum conſecravit deinde Eccleſia, æternumque firmavit Pontificium Oraculum. Filius fuit Berengariæ, quæ Alphonſo* IX. *Legionenſi nupſerat, et ſoror major natu (aliter ac ſcriptores nonnulli tradiderunt) Blancæ Galliarum Reginæ nuptæ Ludovico VIII. In eo emicuere mirifice virtus militaris, et religio, oſtenſumque eſt, quanto inter ſe fædere conjungi utraque poſſit. Nemo rex bellicæ diſciplinæ patientior Ferdinando, nemo fortunatior, felicior nemo. Inter aſſiduos bellorum tumultus, regnique curas maximas religionis res ita tractabat, obſervabatque fideliter, ac ſi cæteris omnibus eſſet vacuus. Utriſque exer-*

Addiderit, junctis amborum viribus, urbes
Regnaque partitus Mauris rapienda, movebit
Victrices acies; cedetque Biatia rege
Capta ſuo: Conchæ princeps ſua ſceptra tributo
Servabit: ſimili pacto, Granata, datisque
Captivis, multis auri, argentique talentis,
Ab Ferdinando regnum victore tenebit:
Ipſius imperio ſubdet quoque colla Giennum,
Corduba dives equis, et felix Murcia Campis.
Nec tremefacta manus victoris nobilis armis
Hiſpalis effugiet, plus centum millibus etſi
Culta Arabum jactet vires, et fortia bello
Pectora, et inſolita ſervet virtute Trianam.
Ipſa cadet, ſecumque trahet cuncta Oppida, Bettim
Quæ cis, transque bibunt. Maurorum millibus urbe
Prin-

---

citationibus morum innocentiam, animique candorem illum conſervavit, qui inſtar miraculi maximi intueri jure poteſt. Partem Hiſpaniæ maximam, quam ab Afrorum jugo liberandam ſibi adſumpſerat, inito cum Jacobo Aragonio pacto, ſceptris ſuis adjunxit, coacto ad vectigal ſolvendum unico, qui ſuperfuit, Granatenſi Rege, *qui ſervitutem grandi pecunia, et redditis mille trecentis Chriſtianis captivis, emit.*

Principe depulſis, divis altaria reddet
Vota ſuper ſolvens, Divis referendus et ipſe,
Et crebris gentis votis, precibusque vocandus.
Quem paribus juxta nunc fulgere cernis in armis
Et triplici impavidam diademate cingere frontem,
Is Ferdinando cognato ſanguine junctus
Maurorum Domitor, fortiſſimus ille Jacobus, (q)
Quem

(q) *Jacobus Aragonius* Maurorum Domitor *partem ſibi cum Ferdinando pactam pari ſtudio ſuſcepit, pari felicitate confecit. Conceptum Jacobi, et quibus turbis puer jactatus ſit, ne umquam in paternum ſolium conſcenderet, videſis apud alios, ſi lubet. Quæ puer adhuc bellici roboris experimenta dedit in ſedandis inteſtinis motibus, et vix adoleſcens in capienda Inſula Balearium principe, ea ſunt quæ maximum exercituum Ductorem vehementer commendarent. Suſceptam Balearicam adquiſitionem an.* 1234. *anno ſequente confecit. Mox Valentino bello accinxit ſeſe, et brevi tempore, capta urbe Principe mirabili celeritate, pulcherrimæ regionis potitus eſt, et totius prope regni, cum ex pacto Alonam Ferdinando relinquere cogeretur. Haud facile rex in hiſtoriis reperietur qui triginta plenis præliis cum hoſte conflixerit; difficile, qui ex præliis omnibus victorem exercitum ſuum reportarit.*

Quem Pater Omnipotens ſortem miſeratus iniquam
Celtiberæ gentis, populis concedet. In illum
Armatas erebi vires, aſtusque nefandos
Deludens, ſtygius prædo quibus improbus ortum,
Conceptumque viri prohibere putabit, inanes
Et reddens artes, puerum quibus ille paternis
Arcere ab regnis, ſævoque abſumere ferro
Conjuratorum ſperabit perfidus hoſtis.
Aſt tandem juvenis, rerum vix nactus habenas
Mentem annos, animumque ſuper, curasque viriles
Oſtendens, regni ſedatis motibus, ardens
In Mauros animo, captus quoque laudis amore,
Maxima quæ tali devicto ex hoſte ſequetur,
Navibus armatis primum Balearica bello
Regna petet ſolis bis ſeptem millibus armis
Inſtructis, promptos pugnis Aragonia partim,
Et partim bello ſtrenuos Catalaunia mittet.
Exigui numeri fidens virtute, carentes
Hoſtiles numero turmas, atque agmina Princeps
Robore par primis, primævo ab flore juventæ
Armorum ducibus, patria intra mænia cinget,
Et cinctos coget victoris jura, jugumque
Accipere, aut alias longe ſibi quærere terras.
Gerione ac triplici ſimili virtute potitus,
Majus opus volvens, victricia ſigna movebit

In Mauros dominos terris, quas Turia, Sucro,
Et Mittas, Ceniusque rigant, quas alluit æquor
Littus ad Ilicium veniens ab flumine Ibero.
Illius inde armis obſeſſa Valentia, cedet
Victori juveni. Fortunam principis urbis
Cætera felicis captabunt oppida regni.
Terdecies Mauris campis pugnabit apertis;
Tempora terdenis cinget felicia lauris.
Sic Ferdinandi virtute, armisque Jacobi
Omnis ab Heſperiis depulſa potentia terris
Maurorum, imperiumque cadet, quosque ille ſuperbus
Advena ſervili jam dudum compede preſſit,
Converſis rebus, dominos venerabitur olim.
Occidet omne decus Mauris, nec parva manebit
Umbra poteſtatis, quam non ab Principe Ibero
Sumpſerit, ejusdem nutu non ſervet, agitque
Quisque Arabum dominus terris dicetur Iberis.
Nec tamen hanc ſortem mutatam, fædera Maurus,
Imperio populos ſolitus terrere ſuperbo
Ferre cito diſcet; flectet vel colla jubenti
Heſperio, ſervi miſeri quem more tot annis
Tractarit, natisque, bonis, et conjuge duro
Arbitrio, nutuque ſuo ſpoliarit acerbus.
Utque Leo caveæ clauſtris concluſus, opimis
Nutritusque cibis, illos nil curat, et ardens

Circum clauſtra fremit, curvis atque unguibus illos
Nunc validos vectes, nunc hos ſi vellere poſſit,
Pertentat, juris nativi conſcius; atque
Arbitrii impatiens rapti, rugitibus implet
Omnia, poſcenti ſimilis, ſimilisque vocanti
Auxilium ingenita pro libertate tuenda.
Haud aliter Maurus, non jam florentibus arvis
Contentus, donis etiam telluris opimæ,
Impatiens fræni, libertatisque prioris
Temporis ardenter cupidus, Mauruſia regna,
Atque Aſiæ gentes, Afrosque in bella vocabit
Heſperios contra; poſſit ſi expellere legis
Ingratæ, gentisque jugum, quod barbarus odit.
  Excitus his querulis Maurorum vocibus ingens
Agmen aget miſſus Princeps ab Rege Maroci
Abomelicus natorum maximus, omnes
Ante alios forti proles dulciſſima Patri.
Exceptusque ſuis hiſpanis protinus oris,
Inſtar aquæ torrens, Bætim victricibus armis
Vaſtabit, campos viduans, ac civibus urbes.
  Hunc contra veniet rapidus, ſiſtetque furentem
Alphonſus, ſternens acies bis quinque trucidans (r)
Mil-

(r) *Trajecerat in Hiſpaniam cum exercitu Abomelicus Maroci*

Millia, ductorem fulva proſternet arena.
Tunc furiis agitata patris mens effera, gentes
Omni-

Maroci Regis filius, qui majores etiam copias in Africa parabat, quibus regna recuperaret, quæ ſub Ferdinando erepta ei fuerant; Hiſpalenſe præcipue ei charum. Bæticam jam totam miſerrima vaſtatione depopulabatur; cum ei occurrit Alphonſus dictus IX. parva manu, ſed qui in ætate juvenili ſcientiam militarem, prudentiamque ſenilem præſeferebat; trucidavit hoſtiles phalanges, et interfectis eorundem decem millibus non ſolum furorem hoſtilem compreſſit, ac retardavit, ſed compulit etiam reliquos ad fugam præcipitem. Ex interfectorum numero alter fuit Abomelicus, cujus interitus patris animum in furorem impulit acerbiſſimum. Commovit is Africam totam, et aſſidua quatuor, vel quinque menſium opera in Bæticam trajecit cum exercitu quadringenties millies peditum, equitum ſeptuaginta millibus quibus etiam auxiliares ſuas copias adjunxit rebellans rex Granatenſis. Obſtupuit trepidans tota Hiſpania (imo tota Auſtralis Europa) ad tanti exercitus adventum, cui quas opponeret vires nullas habebat. Subit in mentem Maroco occupare Tariſam, qua commeatibus ſuis in Hiſpaniam aditus facilior, breviorque pateret. At urbis cives hoſtiles

Omnibus ab regnis Afrorum colliget, omnes
Vindictæ ſtudio, atque odiis accendet amaris
Heſ-

ſtiles impetus adeo ſtrenue ſuſtinuerunt, ut ab ſuis quinque armatorum millia excipere ad urbis propugnationem potuerint.

Interea convenerant Alphonſi, ac Regis Luſitani vires, et in hoſtem profecti ſunt ambo; cumque prælii committendi ratio omnis inter eos conveniſſet; felicem pugnæ exitum, quem ab propriis viribus, et virtute ſperaſſent temere, ab cæleſti auxilio implorant. Expiata igitur ſacramentali confeſſione conſcientia, et cæleſti pane corroborati reges (quorum exemplum ſecutus eſt exercitus omnis) in hoſtes caſtra moverunt mirum in modum ardentes; utque perventum eſt ad campos, quos amnis Salſus *dictus interſecat, ingenti Maurorum ſtupore, noſtrates primi fluvium trajecerunt, tantoque in hoſtes impetu irruerunt, ut hi vix ſibi perſuaderent veros eſſe hoſtiles conatus, quos intuebantur. Suſtinuerunt nihiloſecius primam aggreſſionem acriter. At Alphonſus medio in certamine, facto ingentigyro, improviſo irruit in alam hoſtium dexteram, quam turbavit; quo tempore egreſſi ex urbe obſeſſi a tergo Mauros aggrediuntur tanta internecione, ut ad fugam Mauri præcipitem coacti fue-*

Heſperiam in gentem. Peditum centena movebit
Quatuor ad bellum promptorum millia, ſeptem
Et turmas equitum, ſignans turmęque cuique
Millia tota decem præſtantum robore, et armis.
Tot turmis equitum, tantis peditumque catervis
Obvius Alphonſus, viginti millia quinque
Dumtaxat peditum, bis ſeptem millia equorum
Adſumet ſecum in pugnam; nec viribus iſtis
Exiguis quamquam numero penetrare per hoſtes
Differet innumeros, ſtet vel tota Africa contra,
Primus et attonitas acies in prælia coget
Acer, et impavidus; turbatis ſtrage cruenta
Ordinibus, ſurget campis triſtiſſima clades
Maurorum, quorum bis centum millia campos
Amplos obducent; captivis oppida, et urbes
Diteſcent; miles gaudebit divite præda.
Heſperidum ex numero viginti quinque per arva
Sternentur, paulo tardabunt vulnera plures.

Qui

fuerint. Biſcentum millia trucidati ſunt, quo in numero noſtrates, exterique ſcriptores omnes conſentiunt: captivi ducti plurimi; reliqui fuga ſe veloci victricibus armis ſubſtraxere, relicta præda ditiſſima. Ex noſtratibus deſiderati ſunt ad viginti quinque milites.

Qui Claudit Regum ſeriem poſtremus, inumbrans
Tempora multipli lauro, *Caſtella*, *Leones*,
Et *Vectes*, geminasque *Cruces* inſignibus una
Conjungens, nomen Fernandi nobile reddet (s)
Nobilius. Servatur huic nam gloria turpi
Totius Hesperiæ purgatæ ab fæce Maconis.
Namque videns, Arabes fictæ ſub tegmine pacis
Eſſe hoſtes patriæ, dominosque agnoſcere Iberos
Cum res afflictæ; cum contra, vertere cuncta,
Externosque duces, viresque adſciſcere Afrorum;
Hosque Arabes opibus fretos, rebusque vocantum
Promptius Hesperiis accurrere navibus oris;
Una omnes Mauros terris expellet Iberis.
Inde citus gravibus vacuas his hoſtibus urbes
Muniet aggeribus, queis propugnacula, turres
Adjiciet validas, et pluribus inſtruet armis.
Atque ut ab Heſperiis pellatur longius oris
Maurus adhuc, ſolis nec ſejungantur ab undis
Æquoris interni regni confinia Iberi,
Atque Arabum terræ, victricia ſigna revolvet
Oppida Maurorum contra, quæ proxima ponto:
Et rapido curſu victor ditione tenebit

Fauci-

(s) *Claudit agmen Ferdinandus Aragonius, appellatus*
Cat-

Faucibus Herculeis ad diſſita regna Tuneti,
Icoſium, ſcopulum Velez , fortemque Bugiam,
Algerium, Tripolimque urbem ; legesque tributi
Imponet duplici regi, qui ſceptra Temiſſæ,
Quique Tunetanas moderatur legibus urbes.
Sic demum virtute ducum, ſed numine noſtro
Præcipuo; morbo ut diuturno languidus æger,
Viſceribus poſtquam cauſam morbi expulit omnem,
In

Catholicus , *qui ducta Eliſabeta Caſtellæ poſtmodum Regina, regnorum omnium hiſpanienſium ſtemmata conjunxit. Religionis ſtudio accenſus cum videret Mauros per hiſpaniam diſperſos facile commoveri , et Afrorum propinquitate confiſos novas identidem turbas in regnis excitare, eosdem crebro etiam arceſſere , et invitare; ſuſcepit eos omnes ab regnis penitus expellere. Itaque Granatenſem Regem tributum ſuperbe denegantem regno expoliavit; et ſeptem præliis felicitate maxima pugnatis, urbes omnes cæpit, quæ Afris uſui eſſe poterant. Hiſce non contentus trajecit in Africam cum exercitu, cujus oram maritimam ab faucibus Herculeis Tunetum usque in ditionem ſuam redegit, ne ulla eſſet ſuper Afris deſcendendi in Hiſpaniam facultas; duosque reges Tunetanum ſcilicet, ac Temiſanum ad vectigalia perſolvenda coegit.*

In veteres ſurgit vires, et robore veſtit
Membra novo; ſic Heſperidum mea regna vigorem
Eximium, firmumque magis capientque, foventque
Omnibus expulſis Mauris: hiſpania tota
Legibus, et Dominis, placitisque regetur iisdem.
Ac ne vana putes placidum tibi fingere ſomnum,
(Qualia multa graves curæ, flagranſve cupido
Mente ciere ſolent avidis, curisve gravatis)
Craſtinus ante diem, quam claudat veſper Olimpo
Hujus in ingentis conſiſtet limine luſtri
Perfidus ille Oppas patriæ furialis Erinnis
Crimina criminibus qui jungens; caſtra Tarifi
Accenſosque animos Maurorum durius urget
In tua ſceptra, dolens ex floreſcentibus olim
Relliquias regnis ſupereſſe, adſurgere poſſit
Ex quibus inviſum ſceptrum, quod funditus optat
Exciſſum terris, æterna et nocte ſepultum.
Ille tibi inſidias meditatur; vocibus ultro
Dulcibus, ingenuum præſeque ferentibus ingens
Erga te ſtudium, tranquilla ad fædera mendax
Ducere tentabit, quæſitæ ad munera pacis.
Mendaces voces, et ſubdola verba caveto
Audire, atque fidem promiſſis addere fictis.
Nec vires metuas hoſtiles: plurima quamvis
Millia te contra jam nunc venientia jactet,

Venturasque acies poſt has minitetur; iniquus
Ipſe ſuo exemplo, ſero licet, agmina diſcet
Plurima quid valeant, ut primum numine divum
Deſtituuntur. Opes tenues, parvæque cohortes
Quid poſſint ſuperum protectæ viribus, ipſe
Noſcet Arabs. Poſthac Nobis tu Victor honorem
Perſolves: Antrumque cavum, templumque peramplo
Antro conſtructum noſtro de nomine dices (t)
Namque ego ſum Magni pulcherrima filia Patris,
Cælicolum Regina potens, Virgoque Parensque
Æterni Nati, Sacri quoque Pneumatis alma
Sponſa, mihi dudum quæ hiſpanica regna tuenda
Auſpiciiſque meis fortunatura per ævum
Suſcepi. Siculis jactatum fluctibus olim
Ipſa ego te eripui, tempeſtatemque tumentum
Seda-

(t) *Antrum ſcilicet iſtud in Templum deinde mutatum, quod dictum noſtratibus eſt* Sancta Maria de Covadonga, *multiſque regum, ac principum, proximorumque populorum præcipue muneribus locupletiſſimum, deſignatis Sacris Miniſtris, qui religionis res in ipſo tractarent, et Hiſpanienſium Regnorum felicitatem, interpoſita B. V. Mariæ protectione, aſſiduis precibus ab Deo. O. M. poſtularent.*

Sedavi, excierat quantam vis improba Ditis
Conjurata tuam cum ſceptris perdere vitam.
Si potui certo, tantis ſurgentibus undis,
Naufragio vitam, regni ſceptrumque tueri;
Et potero turbas Arabum cohibere, nefandis
Agminibusque metum, cladesque inferre ſupremas.
In me ſpes omnis, cępti et fiducia belli,
Et curæ rerum magnæ, timidæque quieſcant.
Hæc dicens placido perfundens ora Pelaji
Lumine, conticuit, tenuesque evaſit in auras,
Magnanimumque Ducem ſomnus, dulcisque reliquit
Virgineo dudum veniens ex ore voluptas.
Ab ſtrato ſurgit, fidum mox convenit ante
Omnes Alphonſum, ſimilis quem robore ſomnus
Inſolito implerat, par et fiducia rerum.
Conſiliis inter ſe junctis, corda viciſſim
In bellum, pugnasque parant; alacresque propinquos
Expectant hoſtes, conſtans quos fama reportat
Spirantes rabiem, cædesque, minasque venire.
Inde aliis ſociis, magno ut ſint robore, magna
Ut ſpe firmentur, Genitricis Numen, opemque
Implorare jubent Magnæ; dein fauſta volentes
Significant, impletque animos fiducia præſens.

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER SEPTIMUS

ARGUMENTUM.

Miſſus adeſt Oppas; pacem ſuadere Pelajo
Tentans, rejicitur: Dux Alcamanus et Ipſe
In Montes penetrant multis cum millibus, antri
Oſtia circumſtant: Mauris pugna aſpera ſurgit,
Contra ipſos haſtas dum vis ignota retorquet
Immiſſas Populi multi, magna Oppida, cæli
Prodigiis moniti firmatum agnoſcere regnum
Feſtinant, lætique Ducem, Regemque ſalutant.

INterea noctis tenebras, umbrasque fugarat
Tithoni conjux roſeo ſpectabilis ore,
Puniceisque rotis cælo ſubvecta rubebat
Aurea, montanos apices, et culmina ſolis
Lumine perfundens primo venientis eoo;
Cum Princeps ſociis indicit, corpora curent,
Arma parent alacres. In partes dividit inde
Inſtructas acies: retinet fortiſſima ſecum
Pectora, quingentos ſocios, queis prima tuendi
Cura ſit ab ſubito venturis hoſtibus antrum,

Quingentos alios turbas partitur in æquas, (a)
Et montana jubet ſervent loca: prælia cumque
Ingruere, et ſævire hoſtes antri oſtia circum,
Illi

(*a*) *Solos mille viros delectos a Pelajo fuiſſe, cum prælio ſe pararet, in quo decerni totius rei ſumma debebat, accepimus ex unanimi hiſtoricorum conſenſione, et hiſce ſolis confectum fuiſſe poſtremum prælium, in quo res hiſpanienſes firmatæ ſunt. Namque auxiliares copiæ, quæ ab Cantabrorum finibus, et Gallæciæ montibus arceſſebantur, confecta jam pugna ab iisdem ſcriptoribus perveniſſe dicuntur. In antrum itaque conjecit ſe cum ſuis Pelajus. De rebus, quæ in hoc antro acciderunt, uti de Pelajo, apud Iſidorum Pacenſem illius temporis Scriptorem altum ſilentium: proinde etiam de prælio, in quo noſtrates ſingulari, divinoque prodigio de Mauris apud antrum illud triumpharunt; Nihilominus, ſilentium hocce tanti non eſt Eccmo, eruditiſſimoque Mondejario, ut non ſcribat ipſe, et Pelajum extitiſſe, et res ejusdem bello geſtas negari niſi temere non poſſe. Quin et Pellicerius ſolitus omnia timidiſſima lance perpendere, et natura promptus ad ea neganda, quæ receptiſſima ſunt, deſpecto eodem ſilentii argumento, quod alias tanti facere ſolet, prodigium hocce negare non eſt auſus.*

Illi ex inſidiis uno ſub tempore ſurgant
Hoſtiles acies contra, atque ab culmine montis
Quisque ſui denſo telorum grandinet imbre,
Saxorumque gravi contundat pondere turbas.
Ipſe antrum munit multa vi, fervidus hoſtis
Qua veniens firmet greſſum, curſumque retardet.
Haud ſecus ac juſſi faciunt qui culmina montis,
Quique locum inſidiis aptum circundare miſſi.
Et vix quisque ſibi ſignatum munus obibat;
Præcipiti curſu veniens cum nuntius affert,
Montibus armato compleri milite campos
Vicinos, et ſigna procul, procul æra tueri
Sole repercuſſa: ab campis celeremque videri
Adventare virum, ramum et prætendere olivæ.
Et jam miſſus adeſt portans mandata Pelajo,
Haud procul hinc montis conſiſtere faucibus Oppam,
Principe qui cupiat magnis de rebus utrique
Affari ſolus: veniamque proinde precari,
Quà tutius poſſit caſtris ſuccedere Iberis.
Conſtitit, audito Princeps hoc nomine, vultu
Diſſimulat motus animi, quos excitat atros
Ut ſubit in mentem facies turpiſſima fraudis,
Perfidiæque viri. Secum ſed cogitat anceps
Quid faciet? vocesne hoſtis contemnet? et omnem
Congreſſum, quæcumque ferat vir proditor, illi

Abnuet? An patiens vultus, atque ora nefandi
Præſulis, et fictum poterit cognoſcere pectus?
Multa animo verſans; tandem: ſunt omnia, dixit,
Tuta tuo Domino; veniat. Nec plura locutus.
Vix horæ ſpatium velox effluxerat, ante (b)
Oſtia cum magni pervenit perfidus antri
Oppas vectus equo; delapſo protinus ore
Occurrit Princeps ingens, vultuque ſevero. (c)
At non tardatus conſpectu Principis Oppas,
Quem pavidum falso credit, captumque timore
Hoſtis ab adventu tanti, rebusque ſuorum
Jam diffidentem, miſero quęſiſſe ſub antro
Perfugium, fatisque moram, tempusque ſiniſtris;
Ad-

(b) Ex fide hiſtorica adventum Oppæ, ejusque ad Pelajum orationem paucis immutatis damus, quod licere exſtimavimus carmina ſcribentibus.

(c) Magna patientia opus fuiſſe Pelajo ut Oppæ conſpectum ſuſtineret, adnotarunt jam hiſtorici; majori profecto ut ſermonem immobilis integrum audiret. Difficultatis hujus vim exerit ejus reſponſio, quæ aspera licet ſit, non tantum tamen præſefert fellis, quantum perfidi hominis ſcelus, ac ſermo fortaſſe mereretur. Cæterum hac etiam in parte hiſtoriæ veſtigia ſumus ſecuti.

Adloquitur, quæ magna ferat ſic farier infit.
Annales triſtes noſtrorum audire laborum
Non opus eſt Princeps, tibi: ſcis ut ſceptra Gothorum
Nuper ab Hiſpanis regnis in Francica bello
Littora tranſierint, terrasque, urbesque ſubactas
Velivoli fluctus Rhodani, citraque Garumnæ
Imperio addiderint; noſtros quæ gloria reges
Extulerit; quantis hispana potentia leges
Dixerit et populis, quot victrix regna tributis
Subdiderit. Fuimus victores, vicimus hoſtes
Externos, quocumque acies, et duximus arma;
Ceſſimus internis. Quæ nos fortuna levavit
Regna ſuper, populosque, eadem depreſſit ad ima
Crimina, et ingrati donis cæleſtibus, iſta
Indigni, immemores in pravos vertimus uſus;
Inde Deum contra ſumentes arma datorem.
Effuſamne querar, turpique libidinis æſtu
Conſumptam Heſperiam totam? languiſſe ſupremos,
Atque imos fæda ſanie, macieque nefanda?
Teſtis ades ſcelerum, quæ offenſi Numinis iras
In res, inque caput noſtrum traxere; nigrosque
Nos Arabes vitiis noſtris commovimus, arma
Hoſtibus his dedimus vertenda in viſcera noſtra.
Colla jugo tandem Maurorum flectere adacti
Servitium ferimus, ſummus quod Rector ab alto

Impoſuit nobis: Dominis paremus iisdem,
Quos Deus ipſe volens terris immiſit Iberis
Ultores ſcelerum tantorum. Numen acerbat
Qui contra ſtimulos calcitrat; flectis adorans.
Cum vires eſſent validæ, regnumque vigeret
Militibus, ducibus, primo quoque flore juventæ,
Nil vires valuere, duces, nil arma; ſed hoſtis
Imperio ceſſere cito trans usque Pirennes
Fluminis ab ripis Anæ regna omnia; quamvis
Innumeras acies poſſent immittere contra.
Tu tamen exiguo comitatus milite, montes
Inter, et antrorum latebras, nemorumque tenebras,
Latronum ritu potius quam militis, audes
Innumeras acies, turmasque laceſſere bello
Antri confiſus latebris, ſperasque tueri
Relliquias gentis, libertatisque relictæ,
Devotæque Arabum turmis, quibus undique circum
Cingeris? Ah! ſuperum prudens obſiſtere fatis
Deſine: flecte jugo collum, dum tempus, et hoſtis
Placatur precibus. Noli virtutis inani
Nomine præcipites animos confundere; numquam
Dicetur virtus hæc deſperatio rerum,
Quæ tibi, quæ potuit ſociis conſtantia dici.
Nititur imprudens adverſus fluminis ictum;
At ſapiens adjuncta putat; nec cedere credit

Turpe ſibi, vires cum non ſunt viribus æquæ.
Ecce adſum ſortisque tuæ, pacisque tuorum
Arbiter ab Mauris delectus. Fœdera taxo
Qualia tu numquam ſperares tempore tali.
Cede loco tantum, belloque abſiſte; ſiniſtros
Pone animos, atque arma tuis contraria rebus.
Audiit hæc torvis oculis, et fronte Pelajus
Obducta, cohibens internum pectore motum,
Acriter in falſum qui dudum fervet amicum.
Utraque mox Oppæ defigens lumina vultu
Torvus, ſic breviter reſponſum reddidit Heros;
Quas memoras ſcelerum, pænæ ſervantur, inique,
Criminibus, capitique tuo, rebusque tuorum,
Quos miſero exemplo traxiſti perfidus, inque
Armaſti patriæ, crudelis, viſcera. Nec te
Tantorum ſcelerum turpiſſima terret imago?
Fulmina nec ſuperum metuis? vel ne ima dehiſcat
Terra tibi, et præceps ſtygias trudaris ad umbras?
Millia chriſtiadum quoties centena furoris
Victima Maurorum jacuerunt ſanguine fuſo?
Vidimus et noxis violari templa nefandis;
Proſterni ad terram turpata altaria Divum;
Inſultare ſacris rebus, rerumque Miniſtris
Infames homines, et vertere ſacra profanis.
Hi ſunt perfidiæ fructus, qua Paſtor ovile

Pandiſti, caulasque lupis; qua præſul in ædes
Truſiſti ſacras divini Numinis hoſtes.
Quid vires jactas Maurorum? regna ſubacta?
Oppida capta manu? Muzæ cane talia, demens,
Inſano, ſimilique tibi: me, perfide, coram
Audes Maurorum vires attollere? noſtras
Deprimere? Infeſtus divina arcana movere?
Quis Deus ille tibi, vel quæ mens ſana ſuaſit,
Ut regem, patrias partes, ſociosque rebellis
Deſereres pugnis mediis; et transfuga vires
Ab patria acceptas patriæ contra agmina vertens
Clade tuos miſera vexares; abque minanti
Exitio Mauros ſalvares? Crimina noſtra
Criminibus purganda tuis. Tu peſtis, Erynnis,
Quam patimur, miſerique magis nos credimur, ab te,
Te, quia perjuro, quam quod vexamur ab hoſte:
Nec tantos mihi finge metus victoris ab armis,
Atque exercitibus Mauri, faſtuque ſuperbo.
Ambitione tua premimur, faſtuque tuorum
Nos magis, hoſtili quam vi vincamur, et arte.
Cætera, jam dudum didici, firmumque tenebo
Mente mea (quod re fingis neſcire, loquelis
Oſtendas quamuis aliud ficti ore peritus)
Scilicet eſſe Deum, ſcelerum qui poſcere pænas
Noſcit, et artifices vindex in jura vocare:

Auxilio nixi ſuperum, et tutamine certo
Nos patriæ leges, venerandaque jura tueri
Prædones iſtos contra ſuſcepimus; arma
Nulla, vel innumeros non exhorreſcimus hoſtes.
Ipſe poteſt paucis, nullis quoque plurima turmis
Agmina ſubjicere, et latis proſternere campis.
Quodque poteſt, faciet: nos hæc fiducia firmat:
  Incaſſum interea, vano cæcusque favore
Quo gaudes Arabum, quem tot tibi crimina, tantæ
Et fraudes peperere, mihi, ſociiſque putaſti
Errores ſuadere tuos. Nos ſcilicet omnes
Mente ſumus male ſana adeo, fallacis ut arte,
Perfidiaque viri faciles fallique, capique
Poſſimus; toties fraudes jam cujus, et aſtus
Lethiferos tulimus, lacrymis et flemus obortis.
Si domino tu te Mauro paciſque ſequeſtrem
Pollicitus, leges dicturum et fæderis æquas
Nos inter, dominoſque tuos; i, perge, fatere
Te voluiſſe fidem ductoris fallere fraude:
Dic pugnis promptos animos nos, arma parare;
Ceſſuros numquam, dum ſpiritus hos reget artus,
Dum ſanguis fundendus erit, pro pignore patrum,
Proque focis, aris patriis, pro dogmate cælo
Delapſo nobis. Noſtris neque viribus auſi
Spondemus; dextro ſed fiſi Numine, tanta

Quod nobis audere dedit, quod te acrius urget,
Et jam jamque tenet, capitique infigit iniquo
Supplicium extremum. Hæc dicenti terga, furore
Torvum ſubridens, vertit, dorſumque frementis
Rurſus equi ſcandit multa vi fervidus Oppas;
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigans,
Fæderis infecti veniebat nuntius hoſti;
Exacuitque animos, irasque accendit acerbas
Corde magis. Miſerum quod pauci militis agmen
Incluſum latebris montis; non tendere contra,
Non auſum æquo campo ſe dare, fæderis omnes
Reſpuerit leges; obfirmatumque cruentam
Maluerit ſortem Martis tentare, catervas
Innumeras contra; queis non Hispania tota
Viribus integris palmas, laurosque morari,
Vel longum potuit murorum opponere valla:
Scilicet invicti pugnis, totaque potiti
Heſperia, miſero vincemur ab hoſte? Maniplo
Ab tenui, nemorum ſaltus cui, montis et antrum
Solis inacceſſum radiis, ſpes ſola ſuperſit?
His ſuper accenſus dictis, victricia in hoſtes
Signa jubet ferri; montes et milite circum
Armato leviter cingi: tum robore pubis
Delectæ ſeptus Ductor ſe immittit in arctas
Difficilis montis fauces: totasque videres

Compleri armatis valles montem inter utramque.
Non ſecus ac quando montanis imbribus alte
Intumuit torrens, fluvius cui proximus omnem
Exundans aditum prohibet, ripasque jacentes
Exſuperans, vaſtum protendit fluctibus æquor.
  Celso Alcamanus turbas de monte propinquas (d)
Adloquitur, mandata jubens usque ultima ferri
Agmina. Parcendum nulli, uno ordine miles
Obvius, et quisquam fuerit, vel Ductor habendus.
Queis, quoniam noſtris armis periiſſe juvabit,
Nulla fugæ pateat, jubeo, via nulla ſaluti.
Ite, ait, et miſeras faſtus audacis Iberi
Relliquias, morti addictas extinguite ferro;
Fluctibus ut flammæ tenues; abſcindite ſtirpem
Inviſam ſuperis, hæc cujus ſola ſuperſtes
Parva manus pacis prohibet cognoſcere fructus.
  Talibus accenſi Mauri montana petebant
Antra ſuper, pulſuque pedum, ſtrepituque tubarum,
Siſtrorumque ſono horriſono perculsa fragorem
Saxa gravem ad ſuperas mittebant eminus auras.
Mirantur montes deſertos, rara domorum
Tecta vident, nullis atque hæc habitata colonis.

Ob-

(d) *Neque Oppas, neque Alcamanus ancipitem ſibi belli*

Obvius armatus nemo ſit, nemo per altos
Conſpicitur paſtor montes, grex nullus, et antro
Quæſito tandem vicini, ſtare jubentur;
Arma parare citi, depromere tela pharetris,
Saxaque, et incluſos prævertere viribus hoſtes
Ipſius ad fauces antri. Jam proxima rupi
Oſtia multiplici firmarant agmina gyro;
Ordinibus ductor cum primis imperat, antri
Ut contra paucos cuſtodes ſaxa, ſagittas,
Telaque continuo jaculentur, cominus antro
Succedant, clauſisque ferant cum clade ruinam.
  Iuſſa faceſſebat miles, ſaxisque, ſagittis,
Imbre et telorum contexerat oſtia luſtri;
Cum cernit ſaxis tundi, ſternique ſuorum
Agmina telorum jaculis, quæ credita primum

Tor-

---

li exitum umquam crediderant; Qui vero poterant? cum Pelajus ipſe in eas ſe anguſtias conjeciſſet parva adeo manu; et ipſi ea agmina ducerent, quæ deglutire hoſtes poſſent. Ex his non humano conſilio factum apparet, ut Princeps belli peritiſſimus locum illum ſibi deligeret, quem fugere potius debuiſſet; namque loci etiam difficultas oſtendere palam debebat, Victoriam ſoli ſuperno auxilio eſſe referendam.

Torqueri ab clauſis obscuro in carcere turmis.
Aſt ubi ſana redit trepidis mens, noſcere tandem (e)
Incipiunt, tot tela ſimul non poſſe per hoſtes
Exiguos numero, cæcis lâtebrisque latentes
Immitti: jactum telorum, et grandinis imbrem
In jaculatores multa vi, et fulminis inſtar
Clade retorqueri miſera, paſſimque ruentem
Quemque ſuis armis ſterni, atque occumbere morti.
Hæc Alcamanus propius conſpexit, et Oppas
Dentibus infrendens; furiis ſed cæcus uterque
Agglomerare manus juvenum circum oſtia, tela
Inde omnes vibrare jubent, ſimul undique in antrum
Interius quantum valeant (memorabile factum !)
Ut rapidus flammæ torrens fornacis ab ore
Exilit, immiſit poſtquam faber arida ligna;
Haud aliter cæco jaculi cernuntur ab antro
Adverſus contra torqueri protinus hoſtes,
Nulla vel incaſſum, vano niſuve remitti
Tela vident: centena ruunt confoſſa per arva
Cor-

(e) *Hocce primum prodigium, quo Arabum vires fractæ, proſtratæque ſunt, tanta ſcriptorum omnium conſenſione firmatur, ut inſignis temeritatis reus fieret, quicumque de illo dubitaret.*

Corpora, quæ complent ingentes cædis acervi.
  Obſtupuere acies totæ: perterritus hæſit
Ipſe Alcamanus: magni ſed turba Pelaji
Tempus ab inſidiis tutum ſpeculata; repente
Tota ſimul telis, gladiis, ſtrictaque minaci
Proſiliens haſta, pavidos ſe fundit in hoſtes;
Et rauco inſonuit cornu, quo concita turba
Hac, illac diſperſa latens, ruit omnis ad arma,
Omnis in ingenti fractas jam clade catervas.
Scilicet hoſtiles acies ab parte premuntur
Omni, tunduntur ſaxis, jaculisque coruſcis
Figuntur, ſparſo completur terra cruore.
Non tam pugna ſpecu circum, quam bellica clades
Surgit; Cęſa cadunt immani vulnere paſſim
Agmina: qui montes primi tenuere, latentes
Hos turbæ gladiis miſeranda morte trucidant.
  Millia bisque decem montes, atque arva tegebant;
Præcipiti cum turba fugæ ſe credit, et armis
Rejectis, quæ cauſa moræ, mortisque fuiſſent;
Diſperſi hac, illac; quærit dum quisque ſalutem,
Vel vitam poſuere, gravi vel colla catenæ
Subjecere. Novum rebus miſerisque ſupremum
Prodigium turbas plures ad tartara miſit.
Implevitque animos aliis formidine ſæva.

Fluminis ad Devæ ripas ſurgebat ad aſtra (f)
Præruptæ rupis moles ſcopuloſa, vagisque
Pervia dumtaxat capreis, cum cingeret altos
Venator montes, humilesque indagine valles
Cautus, et audaces immitteret inde moloſſos.
Huc tunc turba arabum medios elapſa per enſes
Incolumis, quamvis ægre, pervenerat; hic ſe
Evaſiſſe putans hoſtes, atque arma, peralta
Culmina complebat denſo jam milite montis,
Fisa labore loci, ſummique cacuminis, unde
Opprimere inſtantes poſſet, vitamque tueri
Dum novus adveniat miles; dum laſſus Iberus
Vel ceſſet tandem miſeris ab ſtragibus, hoſtis
Sive inſectandi quidquam ab fervore remittat.
Vana ſed in ſuperos omnis prudentia, vani
Conatus omnes, nulla eſt ſolertia noſtra.
Namque cohors Arabum mortem fugiſſe minantem
Dum ſperat, ſcopulosque parat, quos volvat in hoſtes,
Irruere in rupem validi ſi forte, vel auſi

Si

(f) *Non minori dignum fide arbitramur ſecundum hocce divinæ protectionis argumentum quod ab noſtratibus non modo, verum etiam ab exteris hiſtoricis absque ulla cunctatione memoriæ poſterorum traditum legimus.*

Si fuerint tentare viam, et ſpem tollere victis,
Unica quæ reſtat: ſubito terra ima dehiſcens
Immenſas aperit fauces, tum vaſta vorago
Improviſa oculis ſpectantibus, ardua ſaxa,
Ingentemque ſimul montem, totasque catervas
Maurorum exiguo momenti tempore (dictu
Horrida res etiam) patulo deglutiit ore.
Attonitis hæſere animis et Maurus, et Iber
Prodigio tali. Spes eſt accenſa Pelaji
Militibus longe major: cæleſtia cernunt
Dum portenta ſibi toties repetita, ſuique
Eſſe vident ſuperis curam. Spes excidit omnis
Sed Mauris vitam victoris ab enſe tuendi.
Diffugiunt cæco tracti, raptique timore,
Quove ferant ſeſe, ducat quo ſemita capta,
Impliciti montes inter, ſaltusque profundos
Ignorant: currunt quá deſperatio ducit
Diſperſos, mortem ſperant vitare minantem.
Hinc nova conſurgit clades, hinc ingruit ingens
Diſperſis ſtrages turmis. Cæduntur ubique
Pallantes Mauri. Montanis faucibus adſunt
Heſperidum fortes acies, longeque repellunt
Qui clade elapſi quærunt vaſta ęquora campi.
Nec tanto ex numero telis elapſus Iberis
Eſt miles, cladis tantæ qui nuntius iret

Infauſtus Mauris, ſævi caſtrisque Tariſi.
Nec ducibus, quamvis diſpar, ſors mitior ulla
Contigit. Ingenti Alcamanus cædis acervo (g)
Additus occubuit. Procul hunc e colle Pelajus
Conſpexit, trepidas acies, tantisque ruentes
Prodigiis, verbis conantem ſiſtere fruſtra.
Vidit, et ad pugnam magna ter voce vocavit
Incaſſum; rebus diffidens namque ſuorum,
Quos vis nulla metu concepto ſolveret, ipſe,
Turbis immixtus fugientibus ampla petebat
Arva, fugæ vitam committens. Acrius inſtat
Dux melior, donec fugientem ſiſtit, et arma
Ad pugnam capere impellit; quamquam eminus haſta
Atergo, aut jacto potuiſſet perdere telo.
Vertit Arabs vultum et fulgentis acinacis ictum;
Terribilem rabie vultum, ſævoque furore
Ardentes oculos, ferrumque immane Pelaji
Conjicit in corpus toto quod robore vires
Nativæ, rabiesque dabant; nec vulnus acerbum
Ef-

(g) *Alcamanum in prælio cecidiſſe legimus; a quo vero interfectus fuerit, nobis ignotum ex fide hiſtorica fatemur: vero ſimile eſſe duximus, eum hoc pacto fuiſſe extinctum.*

Effugiſſet Iber, Maurus ni percitus ira,
Actus et inſana rabie tempusque, locumque
Hoſtis figendi menſus male; vulnus in auras
Iactaſſet. Tu teli hujus non pondus, et ictum
Effugies, inquit Princeps, telumque coruſcum
Pectus in adverſi confixit cominus hoſtis.
Ceſſit ahena gravi ferro lorica, patensque
Pandit iter vitæ fugienti, atroque cruori.
Sternitur infælix ductor, moriensque momordit
Quæſitam, toties adverſo numine, terram.
Ad magnum interea ducunt clamore Pelajum (h)
Monticolæ ignotum, manibus poſt terga revinctis,
Ca-

(*h*) *Oppam exeunte prælio captum fuiſſe teſtatur hiſtoricorum conſenſus, in poſtrema ejus ſorte iidem diſſentiunt. Sunt qui velint, eum juſſu Pelaji perſolviſſe proditæ patriæ pœnas juſtiſſime debitas; alii Principis* Religioni, *optimæque indoli magis exiſtimant conſentaneum, vitam relictam, ſublatam vero ei omnem fuiſſe nocendi in poſterum noſtratibus facultatem; hanc ſententiam, in qua et res noſtræ in tuto collocabantur; ſcelerato capiti graviſſimum ſupplicium infligebatur; et pietas, ac* Religio *Pelaji magis emicabat, in re alias ancipiti, nobis delegimus.*

Captivumque virum, latebris qui vallis in imis
Abdiderat ſeſe, venientum ab montibus altis
Occurſum fugiens. Quæſitus nomen, et unde,
Quove teneret iter? tacuiſſe. Sed omnia plusquam
Oſtentare ſatis, Mauris ex millibus vnum
Eſſe illum, ſolaque fuga quæſiſſe ſalutem,
Horrida dum fieret clades, ſtragesque ſuorum.
Ignotus primas acies tranſivit Iberas,
Sed non ignotus victoris ad ora Pelaji
Conſtitit, illuſtres quamvis Antiſtitis omnes
Exuerat veſtes, inſignia principis arctis
Et miſeris pannis mutaverat. Agnitus Oppas.
Ille tumens Oppas, nuper qui dicta Pelaji
Riſerat, atque Arabum turmas accenderat ira
Relliquias contra patriæ: ſcelerumque dediſſet
Supplicio extremo pænas, ſi vota, precesque
Audiſſet Princeps Sociorum. Triſtius omni
Supplicio eſt illi, dixit, vidiſſe funeſtam
Maurorum cladem, captivum ducier, ora
Cernere victoris, ſtimulis quem nuper amaris,
Criminibus dudum violavit. Lumina fixit
In miſerum Princeps, ne pænas ſanguine, dicens,
Perſolvas patriæ juſtas, facit infula, tantis
Quam maculaviſti vitiis; mihi vero verenda
In te etiam, quamvis indigno. Cætera, toti

Heſperiæ, populisque meis hoc debeo, poſthac
Ne vitæ, ingeniique tui tu viribus uti
In patriam rurſus poſſis. Vos ite, virumque
Interea tuto concluſum carcere, fido
Et vigili cuſtode mihi servate jubenti.
   Ecce autem velox veniens ex urbe Gionis
Miſſus adeſt, triplicis quem bis ter claſſis ab omni
Delecti numero cives comitantur; olivæ
Et longe ramum prætendunt: ducier orant
Principis ante oculos, cui nunc mandata reportant
Et toties populis quæſitæ pignora pacis.
Excepit placido vultu, farique Pelajus
Invitat quæcumque ferant. Tunc maximus annis
Pacceides tales effudit pectore voces.
   Maxime Chriſtiadum Ductor, quo ſoſpite, numquam
Heſperidum fractas penitus, lapſaſve fatebor
Fortunas: ſuperum quem vis invicta labantis
Delegit columen ſolii, contraque phalangas
Innumeras Arabum pro quo cæleſtia movit
Robora; nos miſeri, demum ſed ſorte beati,
Felicesque tua, noſtræ tibi magna Gionis
Mænia, ſubjectos populos, viresque, domosque
Subjicimus; dono ſuperum quæ nuper ab omni

Solvimus imperio Maurorum, et jure Munuzæ. (i)
Scilicet hic noſtris cum jam diffideret armis,
Extollique tuas vires, ſceptrumque videret,
Agmine fidorum comitatus, mænia noctu
Deſeruit profugus. Sed vix evaſerat urbis
Portas, foſſarumque moras, cum cognitus illos
Incidit in cives, graviter quos læſerat: atra
Inter utrosque viros ſurrexit pugna; trucidant
Noſtri hoſtes, capiuntque ducem, vitamque, caputque
Ictu uno abſcindunt: hoſtis caput ecce (miniſtro
Dat ſignum caput ut prodat quod veſte latebat)
Ante pedes; urbis fixo tum poplite claves
Obtulit. Excepit Princeps, dulci ore, fidele
Obſequium, ſpondetque viris tutamen in armis;
Si bellum ingruerit, tranquillaque munera pacis,
Arma ubi defeſſis dederint tuta otia rebus.
Iſta Gionnæi populi Legatio nondum
Ore Ducis chari diſceſſerat; ecce frequentes
Aſturicæ cives adſunt, Lugonis, et urbis,
Quæ multis caput eſt populis, Legionis, et agmen
Delectæ gentis veniens ab finibus altæ

Can-

(i) *Munuzæ fatum ſupremum, paucis admodum immutatis, damus quale ab hiſtoricis accipimus.*

Cantabriæ; audaces equitum, peditumque catervæ,
Quas bello dudum doctas Gallecia mittit,
Omnibus idem animus, bellis adſtare Pelajo
Infenſos contra Mauros, ſi prælia rurſus
Tentarint; regnum ſurgens extendere; pacis
Legibus ejusdem parere, regique petebant.
Hæc mandata ferunt omnes, et quisque ſuorum
Promit vota, fidem teſtatur, pignora præſtat,
Jureque jurando firmat. Vox omnibus una
Excidit inde petens, ut Rex inſignia regni
Induat, et caſtris ſe oſtendat. Vota recepit
Alphonſus populi immenſi, ſuadetque Pelajo,
Depoſita ut tandem privati veſte, ſecundet
Quæ proceres, quæ caſtra petunt; ſitque urbibus, omni
Et populo notum, quod jam decrevit ab alto
Omnipotens Genitor. Multatos cladibus hoſtes,
Abjectosque duces cernis; cecidiſſe Munuzam,
Extinctum ſævum Alcamanum; carcere clauſum
Arbitrioque tuo ſervatum, et nutibus Oppam.
Omnia tuta tibi. Quod te ſcis eſſe, pateſcat
Id populis, qui te quærunt, tua ſceptra requirunt.
Annuit haud facilis votis, verbisque Pelajus,
Et regale manu ſceptrum, diademate cingit
Tempora, purpureo corpus veſtitur amictu;
Et procerum turba ſeptus ſe millibus infert

Armatis. Reſonant vario clangore tubarum
Percuſſi montes; Litui, Citharæque, Lyræque
Et blandi calami, tum bellica tympana ventos
Feſtivo, dulcique replent modulamine; voces
Ingeminant populi lætas, Regemque ſalutant.

*

Hæc ego Mæonii longe veſtigia Vatis
Auſus magna ſequi, jam longa ætate canebam
Eridani ad ripas; cum me complexa teneret
Docta ſinu Vatum genitrix Ferraria; cumque
Carolus Heſperidum Quartus ſub utroque regenda
Sceptra polo caperet; fremeretque Hiſpania plauſu.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 2. in not. Regina	Reginæ.
Pag. 4. v. 286. projciunt	projiciunt.
Pag. 19. v. 311. Ætens	Æternis.
Pag. 42. v. 256. metari	locari
Pag. 71. v. 271. fauſtu	faſtu
Pag. 77. v. 413. duras	duros
Pag. 97. not. coadita	condita
Pag. 102 v. 264. jaſſa	juſſa
Eadem v. 273. quos	quas.
Pag. 110. v. 465. pugantum	pugnantum
Pag. 121. v. 180. imbre	imbri
Pag. 146. v. 151. difixos	defixos

Die 13. Aprilis 1789.
IMPRIMATUR
F. V. A. Cavalloni Vic. Gen. S. O. Ferr.

Die 23. Aprilis 1789.
IMPRIMATUR
F. Compagnoni Vicarius Generalis

MARCOS
y
FRANCISCO VIÑALS
MADRID

Special
92-B
10851

THE GETTY CENTER
LIBRARY